



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Encomiastæ Ad II. Partem pertinentes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

E L O G I A  
S O C I E T A T I S  
I E S V.  
P A R S S E C V N D A,  
S I V E  
S T A T V S S E C V L A R I S,  
I N  
V N D E C I M C L A S S E S  
D I V I S V S.

E L O G I A  
S O C I E T A T I S  
I E S V.



*Ecce segnius Ecclesiastico hoc, quem vocant Ordine, in tuenda, & amplificanda Societatis dignitate Secularium Principum, & Rerum publicarum Ordo politicus laboravit, adeo, ut non satis ille sibi aliquando in procuranda, & defendenda Sociorum apud omnes late populos existimatione temperasse videatur. Et sanè nescit hic quo se vertat calamus: emulationis honestissima ingerunt se mihi potentissima Imperia, ac Cæsares: Regna, ac Reges: Respublica, ac Principes: Civitates, ac Magistratus: Concilia, ac Senatores: Tribunalia, ac Iudices: qui omnes certatim in extollenda Minima nostra Societate, primas partes sibi vendicare totis viribus enituntur. Verum ego à Principe Cæsarum dignitate exordior.*

CLAS-

## CLASSIS I.

## AB IMPERATORIBVS.

1. **A** CAROLO V. Inuidiosissimo Cesare qui cum à B. Borgia Societas à Carolo V. estimata. inuiseretur, & calumnias aduersus Societatem sparsas ab eo manifeste refutatas videret, sensim contra delatores accensus, militari illo recalescente spiritu, fronte sibi manu repente percussa exclamauit: Ergo mihi mentiuntur? Alia multa de secessu suo, vitæque asperitate disseruit cum Borgia Cesare, eumque post tres dies abeuntem iussit sepe ad se redire: dictuque facile non est, quantam hæc Caroli humanitas vulgo cognita, & sermonibus celebrata serenitatem & laudem rebus Societatis attulerit. Ita Par. 2. Hist. Societ. lib. 1. num. 115. Et postea, eundem Borgiam Sanctissimum in Testamento sui Procuratoribus Cesare idem scripsit. Quam rem pro magna commendatione, & Borgie & Societatis fama celebravit. Sic ibidem lib. 2. num. 134. Qui tandem Imperator benignissimus, Se Cui se adiutorem pollicetur. Societatis Adiutorem futurum, eidem B. Borgie inter alia multa promisit, ut refertur in Eius Vita per P. Eusebium scripta lib. 2. cap. 19.

2. **A** FERDINANDO I. Cuius benignitas in Societatem tanta Pecunijs, & fauoribus aucta à Ferdinando. fuit, ut cum in Styriam iter haberet, priusquam Vienna discederet, Collegij nostri memor, certa pecunie Summa ei quotannis nulla interiecta mora numeraretur suis administris, & ijs qui à Consilijs erant graui oratione mandauit. Viennam mox reuersus, cum cognouisset desiderari Collegio ad Sacerdotales amictus, arasque conuestiendas suppellectilem Sacre Vestis, eam sane lautam atque magnificam dono misit. Interiecto dierum spatio tota fere cum Curia Collegium ipsum, haud obscura suæ erga nos voluntatis, humanitatisque significatione conuisit; domum comiter intrauit, & vniuersam inspexit; suis illico sumptibus muniendam, & concinnandam curauit. Ita Par. 1. Hist. Societ. lib. 11. num. 42. Cuius etiam Imperatoris, tunc Regis Romanorum in Societatem tanta pietas, & liberalitas,

Nō

ut

vt ex eo tempore, quamdiu vixit Romano Collegio quadringentos singulis annis aureos nummos perbenigne donarit. Nec pia tanti Principis in commendanda suis, & Ignatio, & Pontifici literis re Bohemica desiderata sedulitas est. Nec Prouinciam tam indigam opis, aiebat, ac prope depositam, desertamque prorsus paterentur: sed paterna charitate complexi per Societatis homines subleuarent. Ita Ibidem lib. 15. num. 23.

Et desiderata Bohemia.

Nullum miseris temporibus presentius subsidium.

Eius Scholæ antidotum contra hæreses efficacissimum.

Sociorum opera quam utilis ad eas extirpandas.

AB EODEM fatente, Nullum presentius miseris hisce temporibus se inuenire subsidium, quàm si huius Familiæ, nempe Societatis, Viros in terras quam plurimos auocaret. Hæc Par. 2. Hist. Societ. lib. 4. num. 64. Et in Germania, Antidotum contra Hæreses efficacissimum Scholæ à se nostras adhibitas esse, scribente. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 4. fol. 345. Et rursus testante: Sociorum sese operam ad extirpandas hæreses imprimis vtilem in sua Germania expertum, haud dubie talem in Belgio futuram. Sic Ibid. liter. ad Philip. 2. lib. 6. fol. 887. Tandem, vt literas, quæ cum Religione diffugerant, pius admodum Imperator, reuocaret, euocauit nos primum ad Viennensem Academiam, è qua totos annos viginti constabat, neminem sacris initiatum prodixisse: deinde etiam ad Pragensem. Ita Ibid. lib. 3. Orat. 5. fol. 439.

Litera ad Pontificem in Societatis commendationem.

Qua ab Apost. Sede, ac Principibus colitur, ac amatur.

Et ab Hæreticis detestatur.

3. A MARIA Augusta Maximiliani Cesaris coniuge meritiſſima, quæ incomparabilis, & munificentie, & deuotionis, & prudentie Imperatrix fuit, literis ad S. Pontificem Clementem VIII. datis Martii 14. Nouemb. ann. 1598 in hæc verba. Beatissime Pater, experta & in Germania, & in Hispania cum animi magna consolatione, quantum Religio Societatis IESV Deo, & eius Ecclesiæ deseruit, obligor ex intimo corde concupiscere, & adniti eius conseruationem, & augmentum, præsertim cum videam eam à sancta illa sua, & Apostolica Sede, à Catholicis Principibus tantopere coli, & adamari, quantum eam Hæretici & Pontificiæ Cathedræ omnes hostes detestantur: persuasum enim habeo tales fauores necessarios esse, vt fructus laborum, quos suscipit, crescat, & mercedis, atque præmij

mij quasi debitos titulo, ob plura, & insignia eius merita erga Vestram Sanctitatem, & totam Catholicam Ecclesiam, pro qua incessanter fatigatur. Vestram Beatitudinem suppliciter deprecor tum propter Vniuersalis Ecclesiae gratiam, tum propter nostrae in hanc Religionem deuotionis ardentio- rem affectum, vt quam commendatissimam Vestra habeat Sanctitas; & paternè defendat in omnibus occasionibus, speciatim eam, quae oblata est de P. Ludouici Molinae libro, quem librum ex auctoritate Vestrae Sanctitatis Archidux Albertus filius meus, dum esset supremus in Regno Lusitaniae Inquisitor, cum toto sanctae Inquisitionis Senatu examinauit, ob quorundam aemulorum instantiam, & reperit criminatio- nes illorum nullius esse momenti, librumque securum, & Catholicum esse: quod ipsum quoque iudicatum est à multis Vniuersitatibus, Praelatis, & hominibus doctis Castellae: quod Vestra Sanctitas fusius percipiet ab Hispaniae in Vrbe legato: cuius Beatissimam Personam Numen tueatur cum omni felicitate, & augmento fidei, vt populo Christiano necessarium est. Vestrae Sanctitatis Obedientissima Filia MARIA. *Hac Imperatrix Serenissima, nostrique Matritensis Imperialis Collegij Fundatrix munificentissima: in Apolog. pro scientia Me- dia per Paulum Leonard. Par. I. n. 29.*

*Fatigatur  
incessanter  
pro Ecclesia  
Catholica.*

*Scientia  
Media Soc.  
Pontifici  
commen-  
datur.*

4. A RODVLPHO Eiusdem Mariae, & Maximiliani Caesaris filio in literis alijs peregrinantis ex Praga ad eundem Clementem VIII. datis anno 1600. die 8. Iulij: Si enim (inquit) in vllam Orbis Christiani gentem Societatis IESV ab illo (videlicet B. Ignatio) iustitiae fructus extat in Germaniam nostram multitudine populorum pene immensam adeo in omnia Regna, di- tioneisque vniuersas, ita se multiplicem effundit, vt obscu- ratus superiorum temporum iniuria Domus Dei nitor quasi nouo sole illustratus vbique resplendescere, maiestatemque religionis Catholicae primaeuam adferre videatur, ita liqui- dem, vt spes nobis pulcherrima sit fore, vt ardente Societa- tis illius zelo, ac caelesti qua praefulget doctrina, diuersorum

*Multiplici  
vbique ter-  
rarum fru-  
ctu sese  
effudit.*

*Quasi no-  
uus Sol ob-  
scuratam  
Dei domum  
illustrat.*

*Ardenti  
zelo, ac ca-  
lesti doctri-  
na praeful-  
gens, errorum  
tenebras  
discutit.*

errorum, sectarumque tenebris disiectis, ac discussis, ditio omnis nostra verum Dei cultum breui temporis intercapedine amplectatur, &c. *Hac Caesar in Apolog. cit. Pauli Leonard. pro scientia Med. Par. 2. n. 82.*

Vni Chara  
Caesari: qui  
acrem se  
illius propugnato-  
rem spon-  
det.

AB EODEM: *Qui in Caesarem electus à Francisco Antonio Patre nostro salutatus, oratusque, ut patrocinium Societatis vellet suscipere, neque aures præbere obtrectatoribus, multa cum familiaritate respondit: Societatem sibi vnice charam, & quamuis nullus intercederet deprecator, acrem se eius Propugnatorem, ac perpetuum fore. Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 4. n. 85. Rursus idem Imperator, cum Pragæ contra Collegium nostrum rumores varij excitarentur, ad extinguendam rei memoriam, sermones de ea Edicto vetuit. Sic Ibidem lib. 5. nu. 103. Item Lutheransimo per Edictum Rodulphi Viennæ de medio sublato, alijsque rebus præclaris gestis, secum ille Magium nostrum, sicut paulo ante Posseninum in Ungariam duxerat, ita post duxit Lintium Superioris Austriæ Metropolim, eo & Confessionis, & diuinissimæ Eucharistiæ administro utens, cum à concionibus Georgium Scherum haberet. Sic Ibidem lib. 6. num. 79. Sicque à Rodulpho Societas in filijs maxime honorabatur.*

Ab ipso  
defensa, &  
estimata.

Et ab Im-  
peratore  
Mathia.

5. A MATHIA I. Unico huius nominis, ac Imperatoris Rodulphi etiam Cesare fratre, qui Viennensis ac Pragensis Academiæ toto Orbe celebratarum, Nos in perpetuum moderatores esse voluit. Ita apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 3. cap. 12. Orat. 5. fol. 439. Qui cum Austriæ esset Serenissimus Archidux, pro suo erga Societatem favore, ac singulari benevolentia, Patres Congregationis Prouincialis Viennæ congregatos humanissime complexus, nihilque non egit, ut toti mundo palam fieret, quem nostri apud suam Serenitatem locum obtinerent. Itaque ad Collegium sub aduentum Patrum carnem ferinam, vinum, pecuniam mitti curauit, nec id satis suæ Serenitati Officij ad declarandam suam in Societatem benevolentiam visum est. Omnes Patres conuiuas in nostro suburbano habere voluit. Dies conuiuii dictus erat Dominicus: eo die mane cum tota sua aula ad hortum nostrum descendit, quo loci postquam rei diuinæ (quæ non sine pompa solemnibus, & Symphonicorum aulicorum concentu transacta est) inter-

interfuisse, familiariter omnes excipiens, singulis manum porrexit, regalique plane epulo exceptos, lautissime habuit: inque eodem canaculo cum nostris (magna ciuitatis parte, festo tubarum, & tympanorum sonitu, qui in eo præter solitum loco reboabat, ad spectandum excita) accubuit, Officialibus aulicis dapes inferentibus, & nostris ministrantibus. Demum mensis remotis, cum è nostris vnus sua Serenitati, oratione tempori illi accommodata gratias ageret, stans sua Serenitas (fuerit licet illi Sedes posita) non sine multorum etiam aulicorum admiratione perorantem audiuit, quod in tanto Principe non potuit non esse maximæ benevolentia signum. Ita refertur in *Annal. Soc. ann. 1606. fol. 471.* Et in *Annal. ann. 1608.* dicitur Austriacum hunc Casarem Mathiam, Brunam inuisentem asseruisse, Se nullum studij genus, quod in Societatis res valere videretur, vlllo se loco, aut tempore prætermisurum. Ita fol. mihi 538.

6. A FERDINANDO II. De cuius laudibus nulla posterorum atas conticescet, quem Apostolicus Nuntius ad suam Sanctitatem rescripsit, post Constantinum, parem in Ecclesia illi non fuisse, quem Imperatorem Sanctum Urbanus Pontifex appellauit. Huius igitur tanti Casaris, tam pia, atque tam sancta educatio, Societati tribui merito debet, à qua est puer literis, & virtutibus institutus: quam institutionem adeo cognouit Optimus Imperator, ut postea iam Societatis filium se diceret, iam Societatem Matrem nominaret, sepe & scriberet. Et hoc filiali certe affectu, & tenerè fortè eam fouebat & tuebatur. Ita apud *Imag. 1. sec. Soc. lib. 3. cap. 4. fol. 346.*

AB EODEM: Qui post natos, notosque Germania Casares fuit in Societatis curanda, ac promouenda decora, & emolumenta supra modum omnem prodige liberalis. Quod ut videas, nihil dicam de fundatis, ac erectis Domicilijs Societatis plusquam decem, nihil de instauratis, & dotatis minimum duodecim, nihil de vsu, ac familiaritate perpetua, qua posito velut diademate, ac Casarea Maestrate, priuatim complectebatur socios, & admittebat ad tractationem, & oscula suæ dextera benignissimè exporreebat. Hoc dicam, quod non ab vno quopiam, sed vulgo iactatum est, Ferdinandi tangi &

Nec non à  
Ferdinando  
II.

Qui se il-  
lius filium  
fatetur.

Eius in So-  
cietatem  
largitas,  
amor, &  
beneficen-  
tia.



oculos, & pupillam, cum Societas tangeretur, non posse vllum Societatis hostem censerī, qui Ferdinandi hostis non esset; qui Ferdinando benè vellet, eum bene velle Societati. Adhac quoties à suis ipse filijs Austriacis Principibus, aut salutareretur adueniens, aut iisdem vel abeuntibus, vel abiens ipse felicia precaretur, solemne semper fuit, vt amandam, colendamque Societatem præciperet dicens: Spero meos filios Societatem amatuos: id si egerint felices, ac beati erunt. Ita ibidem lib. 5. cap. 9. fol. 660. Et apud Guerrero in Corona gloriosa cap. 20. fol. 143.

AB EODEM: Qui XIII. Kalendas Martias ann. 1618. Austria tum Archidux in literis ad Sextam Patrum Congregationem Ratisbona datis, perpetuam in Societatem nostram voluntatem tabulis expressam solemmibus consignauit. Ego (inquit) pro meo erga vos, Reuerendi admodum Patres, fauore, & ab ineunte ætate benevolentia, atque obseruantia, elaborabo, ne in vestræ eximie Religionis tuenda, & augenda dignitate, mea opera vel studium, vel Officium vllum desiderari vnquam possit. Amo enim vos, & vnice diligo, ita vt vestras calamitates, infortunia, & rerum omnium vestrarum acerbitates, proprias meas esse prorsus existimem; & ideo Collegia vestra, quæ partim à meo Serenissimo, & charissimo Parente Carolo, partim à me in meis Prouincijs erecta, & aucta sunt, vt meas proprias facultates, & familias tueri, amplificare, & ornare non desinam. *Summum sane Ferdinandi de Societate testimonium. Que tanta Potentissimi Principis existimatio de Societate concepta; eo subinde increuisse visa est, vt in eiusdem commendationem, iam tum Cæsar aliquando diceret: Si liber essem, vt fratres mei hodie sunt, Societatem IESV omnino ingrederer. Ita hæc omnia in Imag. Soc. cit. lib. 5. cap. 10. fol. 672. Et rursus Par. 5. Hist. Pontif. lib. 18. cap. 7. fol. mihi 533. ait idem Austriacus Cæsar semper Augustus, semper nostri Ordinis commendator egregius, Societatem Defensatricem esse iuris Regum concionibus æque, ac scriptis.* \*

Benignissimi testata  
literis.

In Eam ingredi optat  
Cæsar.

Et defensatricem  
iuris Regum vocabat.

AB EODEM : *Qui Societatem à manifesta calumnia, ex eius* Eius puri-  
tatis famā  
à calumnijs  
vendicat.  
*euulgata Curia, liberauit, cum super ea interrogatus à nostro Genera-  
li, sic per Epistolam respondit. R. de. in Christo P. Remitto Re-  
uerentiæ vestræ mendatium mendatorum omnium menda-  
cissimum, quod quidem risi, sed simul totus excandui. Et si  
vestra Reuerentia in hoc puncto, seu mendatio à nobis testi-  
monium in contrarium petierit, non detrectauimus ad con-  
seruandam bonam famam Matris nostræ Societatis in am-  
plissima forma extra dare. Seruet Deus Societatem cum ve-  
stra Reuerentia, cuius precibus, & sanctissimis Sacrificijs me  
totaliter commendo. Ebortorfij 17. Septemb. 1633. R. V. in  
Christo Ferdinandus. Ita apud P. Guerrero in sua Corona gloriosa  
cap. 20. fol. 146. Et apud Euseb. in sua Corona virtuosa fol.  
279.*

AB EODEM : *Qui ne expiraret cum tanti Cesaris vita So-* Illius ame-  
rem suis fi-  
lij's testa-  
mento le-  
gat.  
*cietatis amor, in suprema sua voluntate, qualem, & quantum erga  
illam haberet, suis successoribus in sui Testamenti Codicillo in summum  
nostræ Religionis encomium, sequenti clausula testatum reliquit: Præ  
omnibus terio, & summopere cum feruore & zelo commen-  
damus nostris successoribus plurimum Venerandam Socie-  
tatem IESV, eiusque Patres, considerando quantum Ecclesiæ  
Catholicæ, non solum in his nostris Austriacis Regnis, &  
Prouincijs profint, quantoque studio, feruore, & fidelitate  
pro conseruanda, & plantanda vbique terrarum Religione  
Catholica præ ceteris omnibus laborent; & quod econtra  
huic peruerso, & ingrato mundo magis sint odiosi, maiores-  
que persecutiones patiantur, quàm quibus alij, & hinc etiam  
maiori præsidio, & protectione indigent, & merentur. Quod  
certe à nostris hæredibus, & successoribus factum iri confi-  
dimus. Et hæc est nostra inuiolabilis voluntas. In cuius fi-  
dem similiter hunc Codicillum propria manu subscripsimus,  
& nostro sigillo muniuimus, in nostra Vrbe Viennensi 10.  
Maij, 1621. Ita Tom. 1. singular. P. Anton. Quintanadueñas in  
Appendice Tract. 7. singul. 1. num. 9. Ista Augusti Cesaris, Parentis  
verè*

Societas  
pra ceteris  
in plan-  
tanda vbique  
Catho-  
lica reli-  
gione la-  
borat.

Et quia  
ideo magis  
odiosa, ma-  
iori protec-  
tione in-  
diget.

verè p̄ij, verè Catholici Ferdinandi nouissima verba fuere: quibus quo esset in Deum, in Ecclesiam, in Societatem, in posteros animo, & qualem cuperet hereditatem suis filijs, vn̄am præ omnibus secure transmittere, ostendit liquido satis.

Iterum à  
Cæsare  
commen-  
data.

AB EODEM: Qui Archiduci Ferdinando Ernesto speciali cura, ac ardentissimo illo amore, quo erga Societatem ferebatur hisce verbis commendauit. Imo vero: (inquit) Illam Tibi iterum, & etiam, atque etiam commendo: protegas illam non minus contra hostes apertos, quàm contra fictos amicos. Decursu enim temporis deprehendes, multos in eum Ordinem amorem iactare, qui non amant, tamen debere. Hæc tantus Imperator, ac pientissimus Cæsar, apud P. Bartholom. Guerrero in Corona sua gloriosa cap. 20. fol. 144.

Quàm fuerit  
amata,  
& estimata à Fer-  
din. III.

7. A FERDINANDO III: In quem ipse sanguis integerrimi Patris, ipsa inuictissimi Cæsaris, ipse (sita loqui fas est) Ferdinandi II. genus transfusus. Sic eum instituit, nihil vt in Ferdinando III. Augusta, Austriacæ prole, Parentis Optimi, requiras. Perrexit ille amando, & protegendo Ecclesiam, tuendo etiam, atque defendendo Societatem. Homonna, Cassoua, alijsque locis agitati, pulsi, spoliati fueramus, damna tunc pientissimus Imperator reparauit: qui vt reliquas à maioribus virtutes, ita hereditarium in nos amorem hausit. Sic in Imag. 1. sec. Soc. lib. 2. cap. 4. fol. 254. Et cum idem inuictissimus Cæsar laureatus triumphis à Nortlingana Victoria ad Augustam Vindellicorum Obsidione cingendam conuertetur, inter triumphis sui decora, hoc quoque non minimum esse censuit; quod Academiam istic prioribus ereptam possessoribus, curæ Societatis, fideique permitteret; Ita in Imag. 1. sec. Soc. lib. 3. cap. 12. Orat. 5. fol. 439.

## CLASSIS II.

## A REGIBVS

## HISPANIARVM.

1. **A** PHILIPPO II. Cui tot Regna per tot annos prudentissimè gubernata dedere nomen Sapientis: & licet initio difficiliter tardiusque SOCIETATEM in Belgium admiserit, in hoc quoque fuit prudens. Etenim neque illam tunc satis cognitam habebat ipse, & nescio qua sinistra opinione à maleuolis ingenerata, mouebatur, & quod caput erat, deterrebatur magnorum virorum consilijs, dissuadentium in tanta veterum Ordinum Religiosorum copiâ admissionem noui. At vbi Petrus Ribadeneira præter B. Ignatij litteras, etiam à Ferdinando Romanorum Rege commendatitias representauit quibus ille præstantissimus Imperator testabatur, Sociorū sese operam ad extirpandas hæreses in primis vtilem in sua Germania expertum, haud dubiè talem & in Belgio futuram: continuo Philippus Rex in vitam, ac munia nostra diligenter inspexit, laudatissimaque omnia comperiens, cum in Patres accepit animum, quem, nobis tacentibus, tot Collegiorum fundamenta loquuntur. Ita in Imag. 1. sec. Soc. lib. 6. cap. 5. fol. 887. & postea fol. 896. additur: Quo non obsequij debito sibi SOCIETATEM obstrinxit Philippus II. Rex sapientissimus, qui delectatus eo fructu, quem è SOCIETATE passim per Belgium decerpi videbat, anno præteriti seculi octogesimo quarto non tantum insigni eam encomio exornauit, sed publico etiam diplomate potestatem fecit toto Belgio Domos, & Collegia fundandi.

Societas à Philippo II in Belgium admisa.

Quam ad extirpandas Hæreses imprimis vtilem testabatur.

Multiplici Collegiorū fundatione.

\* AB EODEM, SOCIETATEM Occidentali Orbi per litteras enixè ab eius Generali Borziâ sic efflagitante. Ob bonam (inquit) relationem, quam habemus de SOCIETATIS personis, ingen-

Et literis ab Eodem expetita ad Indicâ expeditionem.

ingentisque fructus, quem fecerunt, & faciunt in his Regnis, optavi illorum aliquos in nostras Indias maris Oceani mitti, ordinetur: & quia in illis quotidie magis crescit similitudinem personarum necessitas, & in maximum diuini Numinis obsequium cederet dictos Patres in partes illas pergere ob sanctitatem, ac bonitatem, quâ pollent; & quia gens altissima est illorum Naturalium conuersioni; & ob deuotionem quam habeo erga prædictam SOCIETATEM, in votis mihi est, vt illorum aliqui in plagas illas se conferant. Quamobrem Ego Te hortor, ac rogo, ad Indias nostras prædictas ire iubeas 24. Religiosos, vbi à Senatu nostro fuerint designati. In quo vltra obsequium diuino Numini faciendum, magnam ego capiam voluptatem, omniaque ad iter necessaria prouidebo, ac demum Terra illa ad quam perrexerint, ingens gaudium, ac beneficium sua præsentia accipiet, &c. *Hæc Rex Catholicus, in vita B. Fran. Borgiæ per P. Euseb. lib. 3. cap. 8. fol. mihi 211.*

*Ob Sociorum bonitatem, & sanctitatem.*

*Et ad Peruanam.*

\* AB EODEM, *In Peruuium missionem Sociorum exposcente ab Eodem Generali Borgia alteris literis in hunc modum: Ob necessitatem (ait) quam Prouinciæ Peruanæ patiebantur, Religiosorum qui ad conuersionem & Institutionem suorum Naturalium attenderent, & ad deuotionem, quam erga SOCIETATEM habebat, petebat, hortabaturque vt in Peruuium viginti pergerent ex illa Religiosi, & in conuersionem, ac eruditionem Indorum incumberent, fundareque domos, ac Collegia inciperent: ad iter necessaria se daturum promittebat, &c. Ibid. lib. 3. cap. 9. fol. 213. col. 2. Et in Par. 3. Hist. Soc. lib. 3. num. 268. quam abunde Philippus Rex prouiderit, sic refertur. Ad viâ impensas, & vestimenta, simulque ad Bibliothecam, ac suppellectilem sacram, suppeditauit: negotio dato Peruujs Magistratibus, vt in Vrbe Regum (quæ eadem Lima dicitur, & est Peruuie Princeps) ad ædificium quoque situm attribuerent: quibusque beneficijs ex regia liberalitate ceteræ Religiosorum Familiæ fruerentur: eorum omnium nouus hic Ordo particeps fieret.*

\* AB

\* AB EODEM : Qui Regno Mexicano eandem SOCIETATEM desideravit, & petijt: quo Regio iussu quatuordecim ex ea profecti sunt. Ita refertur in *vit. B. Borgia ex Euseb. citat. lib. 3. cap. 11. fol. 219.*

*Et ad Mexicanam.*

\* AB EODEM, Qui etiam mirabatur vehementer inter tot irritamenta nequitiae posse Homines (SOCIETATIS) ætate non graues, tot instructos à natura gratijs ab omnibus tam impensè susceptos, tanta non vitæ solùm, sed ipsius etiam famæ integritate versari. Ita in *Imag. cit. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 668.* Neque voce tantùm Rex tantus commendabat SOCIETATEM, sed litteris, quibus Parma Ducem Alexandrum monuerat, vt SOCIETATIS præsidio munire satageret præcipuas qualque Belgij Ciuitates. Sic *Ibid. lib. 6. fol. 755.* Quid plura? laborabat iam dudum Groninga res Catholica, & Regis, inualefcente Fœderatorum Ordinum potentia: sola restabat Vrbs Prouinciæ caput Groninga, & constabat in fide erga Regem, siue bonorum virtute Magistratum, siue quia valido præsidio tenebatur. Ciuum tamen aliqui nouas de fide opiniones auide hauriebant, quas furtim & malis artibus ingressi nouatores Heretici ex occulto disseminabant. Philippus tunc noster periculi admonitus, SOCIETATEM gliscenti malo ire obuiam voluit; professus Eam sibi maximè idoneam videri ad retinendos in obedientia Ciues, præ ipsis armis, & omni milite præsidario. Quod grauissimum Prudentissimi Regis de SOCIETATE iudicium ingentes nobis stimulos addidit, vt tantæ opinioni exspectationique respondere conaremur. Ita *Ibid. lib. 6. fol. 756.* Item primis Collegij Bruxellensis annis ex Belgio in Hispaniam ad Regem aduersus nos scripta est accusatio: diuitie nostræ immodica iactabantur, & præter eas insatiabilis cupiditas habendi. Grauius pro merito Rex tulit adeo falsos accusatores, multum se Belgis Patribus debere professus, eorum paupertatem modis omnibus leuandam suscepit, quin imò suggestam à Senatu rationem pro SOCIETATE non probauit solùm, sed sua ipse manu notauit præterea quadam inuandis opportuna Collegijs. Hæc *Ibid. fol. 849.*

*Mira Societatum puritas.*

*Societas est Præsidium Belgicarum Ciuitatum.*

*Præ ipsis armis ac militibus maximè idoneum.*

*Defensa à Rege contra accusatores.*

Electa ad  
morum re-  
formatio-  
nem.

AB EODEM: Qui (una cum Apostolico Nuncio) Religiosorum quorundam, & Cleri emendationem toto Regno moliebatur: in eamque rem SOCIETATIS operam destinabat: atque ad res tacite cognoscendas Gundi(aluum Menendez Matritensis Collegij Rectorem, licet multum reluctantem, coegerit pergere. Tanta tanto Principi de SOCIETATE opinio, & existimatio. Ita Par. 4. Histor. Societ. lib. 3. num. 159.

Postulata  
ad Gorga-  
das à Phi-  
lipa III.

2. A PHILIPPO III. Qui ad Insulas Gorgadas (earum precipua à Capite Viridi nomen usurpat) Generali Societatis Claudio pergratum sibi significavit, Si aliquos è Nostris ad curandum Spiritualem Lusitanorum, & incolarum questum transmitteret. Ita in Annal. Soc. ann. 1604. fol. 108. Et in Synopsi Soc. lib. 5. cap. 30. fol. 281. additur, eò Claudium Generalem misisse Balthasarem Barreiram Angolana commoratione, & prodigijs nobilem, ternosque Socios in comatas Cacodæmonis aduersos.

Et ad Si-  
nas.

AB EODEM: Dum Sinas peteret Nicolaus Trigautius cum alijs triginta Socijs, Sinensem ad Regem ditati muneribus verè Regijs à Paulo V. Pontifice, Alberta, & Isabella Principibus Belgicis, Galliarum Regina, Babaro ac Hetruria Ducibus, ab Hispano autem Rege nostro Catholico, ac vere in Societatem liberali, autographæ litteræ pro fundandis per illud Regnum Domicilijs quindecim, & victu Sociorum ter centum. Ita in Synopsi citata lib. 6. cap. 3. fol. 300. O summa summi Regis erga Societatem liberalitas, & existimatio!

Insignis  
Regis libe-  
ralitas er-  
ga Societa-  
tem.

Et in fun-  
datione  
Collegij  
Salmanti-  
ci.

AB EODEM: Cuius benignitas pro fundando Salmantino Collegio partem adstruxit è Margaritæ conjugis voto. Hæc testamento dudum octoginta aureorum millia legarat dicto Collegio. Puerperij tempus, & mortis periculum interuenit: per codicillares tabulas tantumdem addiderat: sed erant ea sine robore, quando infra puræ, & sine sigillo testantis. Suppleuit amantissimus, & conjugis, & Societatis Rex: & summam utramque, demum addidit. Ipse, & Regina Salmanticensis Collegij Fundatores dicti. Ita Ibid. lib. 5. cap. 32. fol. 292.

\* AB EODEM; *Quibusdam Societatis Patribus Margaritæ uxoris eximium erga nos amorem his verbis commendante: Videte quantum vos amat Regina, quæ ut vos maioribus cumulet beneficijs, mercenaria fit apud Indos. Ita in Appendice Memorial. Prouinc. Mexicana ad Philip. IV. super solut. Decimar. fol. 253. §. 7.*

*Singularis Margaritæ Regine amor in Societatem.*

3. A MARGARITA EADEM *Austriaca tanti Regis digna coniuge, Societatis magna Matre, & omnium virtutum admirabili Regina. Hæc Aris Saldaniæ Proregi in Indiam iam iam profecturo, vltimum illud impensè commendauit, Singulare in Societatem studium, & amorem. Ita in Annal. Soc. ann. 1600. fol. 127. Et quoties expeditio in Indiam pararetur, Societatis homines ceteris Proregibus commendabat tanquam suos. Sic in Annal. eiusdem Soc. ann. 1610. fol. 4. Et in Testamento suo sequenti clausula suam erga Societatem amorem testatum reliquit: Auos suos (inquit) inclytos Cæsares Societatem IESV in Germaniam vocasse, & per eam Deo auxiliante fidem Catholicam inter Hæreticorum mille pessimas artes conseruatam. Ita apud Paul. Leonard. Apolog. pro scient. Media. Par. 2. num. 82. Grandis sane Margaritæ erga Societatem amor, & vere supra mortem fortis, qui nec ipsa morte extinguitur est.*

*Quam impensè commendabat.*

*Ut conseruatricem in Germania Catholica Religionis.*

4. \* A PHILIPPO IV. Rege verè Catholico Magnique cognomento verè insignito: qui vnus inuentus est vera Patris effigies, Matris aureæ Margaritæ partus aureus, Aui perennitas, Caroli Cæsaris noua vita. Is adeo in Societatem liberalis, ut cum eam ingentis gazæ heredem institutam contra Regni Lusitani legem videret, in tali lege dispensauit, in Societatis fauorem, Ob fructum (sic Princeps aiebat piensissimus) ab illa, Xauerioque suo in Indis Orientalibus factum. Sic Tom. 1. viror. Illust. Soc. in vita P. Marcel. cap. 10. fol. mibi 253.

*Philippi IV. erga illam eximius fauor.*

*Qui pro E. in lege dispensat.*

AB EODEM: *Qui Matriti nouissime in Imperiali nostro Collegio Academiam Societati erexit, futuram posteris documentum, & voluntatis regie erga nos, & munificentie, vel in tanta potentia admiranda. Nec sane magnificentius aliquid neque præclarius nobis ac-*

*Academia Imperiale Matriti erigit.*



cidere potuit, quàm in liceo illo augustissimo disciplina tutorem, ac Mecenatem habere eum, qui imperij magnitudinem solis ortu atque occasu metitur. Ita in Imag. 1. sec. Soc. lib. 3. cap. 3. fol. 338. & fol. 440.

Defendit  
in Missione  
Castrensi.

AB EODEM: Qui cum à Marchione Spinola supremo militie Imperatore literas accepisset pro seruanda Missione Castrensi ab ali- quibus oppugnata, ex ijsque didicisset quanto suæ Maiestatis hono- re, quanta Ducum, militumque gratia, & animorum utilitate adhuc in Castris versata esset Societas, quantis se confecisset labori- bus, ac periculis sola salutis alienæ causâ: hæc, inquam, postquam Rex Catholicus indubitata Marchionis testificatione comperta ha- buit, indulto importunis monitoribus silentio, perpetuam Missionem esse voluit, deditque castrorum censoribus præfectisque ararij sui man- data, Ne quid in posterum aduersus Patres, quorum operam probatissimam haberet, querelarum admitterent; sed prom- ptiores etiam ex hinc essent, in annumeranda eleemosyna sustentandis illis, quos nihilo sane minus, quàm milites in bello vtilis, ac necessarios censeret, quorumque laboribus, & meritis certius, quàm militum armis, veniret spectanda victoria. Sic Ibid. lib. 6. fol. 810.

Et ante-  
ponit mili-  
tam armis.

Commen-  
dat Proregi  
Peruano.

\* AB EODEM: Qui ad Proregis Peruani Principis Schila- chensis literas, literis sic respondit. Scribis (inquit) propter bona facta, & res bene gestas Religiosorum Societatis IESV operæ pretium esse, vt Indorum curiones instituantur, expediret equidem huiusmodi Prouincias illis delegari plurimas. Quia verò in meo Indiarum Concilio rebus Indicis satis consulti- tur, quod tibi respondeam nihil occurrit aliud, quàm quod velim te semper magnopere gratum erga huiusmodi Ordinis capita, beneuolum, facilemque te præbeas, vt par est, & eo- rum honestissima spectatæ vitæ ratio, tanto animorum bono postulat. Hæc Tom. Schedul. pag. 113. apud Polit. Indian. Doct. Solorzan. lib. 4. cap. 16. fol. mihi 643.

\* AB EODEM, In Scheda data Matrivi 15. Iun. ann. 1654. quâ Regij Patronatus forma à Religiosis quibusuis Ordinibus seruan- da

da proponitur, in qua dum de Societate agitur, subdit in hæc verba. Meæ voluntatis est, & imperij, vt in possessione, ac administratione pagorum Indicæ plebis, quos Reductiones vocare assolent, perseverent, cum indubium sit ex tanto Ordine id in opere sperandum, quod ad animarum præsidium & Catholicæ fidei incrementum sancto adeò Instituto suo Magisterio, ac doctrina respondeat. Hæc Rex verè Catholicus.

AB EODEM: Qui tanti in vno Xauerio Societatem facit, vt aliquando dicere auditus sit, non sine audientium admiratione, Eius Coronam plura Regna vni Xauerio, quàm suis armis debere. Excessus iste amoris est in tam Catholico Rege erga Xauerium, & Societatem ex tanto filio mirificè commendatam. Sic refertur hoc tam celebre dictum, Societati adeo perhonorificum apud Iac. D. Mathiam de Peralta Calderon in Epitome Indiar. Apostoli Xauerij, epist. Dedicat. ad Marchionissam de Cadareita fol. mibi 2.

4. \* A MARIANÂ Austriacâ Magni Philippi coniuge meritissima, Hispaniarum Regina, ac Gubernatrice, postulante (per Regium suum Decretum ad Rectorem Vniuersitatis Complutensis expeditum) duas ibi Cathedras assignandas Societati, alteram Theologie Primariam, vespertinam alteram. Ob venerationem (inquit magna Regina) quam Rex Dominus meus, gloriosique sui Progenitores in hisce Hispaniæ Regnis, meique in Germania Societatem semper habuere: quorum vestigijs æquali ego deuotione insisto: & insuper ob id quod hæc Corona Societatis doctrinæ debet: ob fructumque, quem suo Magisterio in toto Christiano orbe produxit: & ob æstimationem, quam vbi illa stabilita est, attentione sua, virtute, prudentia, modestia, eruditione, & generali satisfactione, qua eius Religiosi procedunt, sibi promeruit: attendens insuper ad maiorem Dei gloriam, fidei exaltationem, ac propagationem, ad utilitatemque boni communis, hunc scopum propter applicationem, ac solida fundamenta, quibus Societas Theologiam discutit, maximè conducere, & ad ipsius vniuersitatis conuenientiam propriam: auctis quippe Cathedris, crescet Scholasti-

Ac conseruari iubet in Indorum Administratione.

Ad animarum præsidium & Catholicæ fidei incrementum.

Vni Societati in Xauerio plura Regna debet Hispania, quam suis armis.

Mariana Hispania Regina duas Theologie Cathedras in Vniuersitate Complutensi Societati decernit.

Quam verbis ingentibus commendat.

lasticorum numerus, & opinio, & studiorum æmulatio illam faciet celebriorem. Propter hæc, & alia motiua singularis mei affectus volui hoc meum magnum desiderium vobis proponere, certa de vestris attentionibus mihi complacendi, non irritum euasurum. Nec solum prompti eritis in admittenda hac fundatione, quam tam anxie expeto, verum media quæretis opportuniore ad faciliorem eius executionem: securosque tam in vno, quàm in altero vos esse velim, gratius seruitium, & præcipuæ æstimationis mihi facturos. Dat. Martii 25. Iul. 1667. *Hactenus inter alia Decretum. Et tantis Regina votis annuit Vniuersitas.*

*Et duas alias in Salmanticensi procurat.*

*Iterum Societatem commendat & Confessarium Euerardum laudat.*

\* AB EADEM : *Altero Decreto non minus perhonorifico ab Vniuersitate Salmanticensi duas alias similes Cathedras eidem Societati, procurante : Ob maius incrementum (Regina verba sunt) auctoritatem, ac famam ipsius Vniuersitatis : & rursus ob maiorem æstimationem, & ornatum Religionis Societatis, quæ tam dignè recepta benè est, ac celebris in toto Orbe, ob literarum excellentiam, virtutem, prudentiam, modestiam, obedientiam, eruditionem, religiosumque procedendi modum : & quæ tot titulis, ac meritis, meum amorem, ac Venerationem promerita est, ad exemplum illius, quam de ea gloriosi mei Progenitores habuere : & speciatim quia in harum Cathedrarum fundatione gratificare cupio Ioannem Euerardum Nithardum meum Confessarium, in mei, & filij Regis, & totius Regni seruitio anhelantem, &c. Martii 10. Ianuar. 1668. Ita inter alia Regina Gubernatrix in dicto Decreto ad Rectorem dictæ Vniuersitatis Salmantinae : quæ Regina votis acquieuit libentissimè in maximam Societatis commendationem.*

A R E G I B V S  
G A L L I A R V M.

5. **A**B HENRICO II. SOCIETATIS adeò per studioso, vt pul-  
*sa ipsa toto Regno foret, si eius in aures, animumque male-*  
*uolorum penetrare sermones, & ficta crimina potuissent, imo Rex*  
*ipse profitebatur, sibi, & Cardinali Lotharingio pene solis SO-*  
*CIETATIS patrociniū relictum idque nunquam deffertu-*  
*ros. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 15. num. 40. Et in Cætu Procerum è*  
*præcipuo flore Gallie IESUITARVM orta mentione, (iam enim hoc*  
*illo hominum genere quid sentirent; ac ceteris vel doctrine famam,*  
*vel vitæ innocentiam, vel studium propagandæ Religionis, vel alia*  
*huius generis cum laude memorantibus; cum vnus quoque inuentus*  
*esset, qui egregios virtutis simulatores, & hypocritas videri, re-*  
*sponderet, graui Rex vultu, Fabor & ipse quid sentiam, Næ*  
*isti, meam fidem, viri egregij, probique sunt: vitam Apo-*  
*stolicam viuunt, ac fructus quemadmodum rectè comper-*  
*tum habeo, ferunt præclaros toto Orbe terrarum. Sic Par. 2.*  
*Hist. Soc. lib. 3. num. 66.*

Patrocina-  
ta Societas.

Eius filij  
vitam Apo-  
stolicam  
viuunt, &  
fructus  
præclaros  
vbique fe-  
runt.

6. A FRANCISCO II. Adolescente Optimo, & sinceri sacro-  
*rum cultus per studioso, qui Henrico Patri etiam in SOCIETATIS*  
*amore successerat, vnas, alteras, ac tertias litteras impetrarat, qui-*  
*bus Rex abs se admitti in Gallias SOCIETATEM contestans, Se-*  
*natui Parisiensi mandabat, vt eam ipse quoque suo rite Conci-*  
*lio amplecteretur. Omnibus hisce litteris obstetit Senatus. Hoc ubi*  
*Rex Christianissimus vidit, totiesque sua repelli iussa, quartas litteras*  
*adiexit, quibus & decretum Sorbonicum, & quæcumque obiecta*  
*fuerant, refellens, Rem testans à se diligenter perspectam, &*  
*cognitam, vt sine cunctatione obsequantur, imperat: Regium-*  
*que suum Procuratorem Parisijs Urgere negotium iubet, & omnino*

Quanto  
studio à  
Rege cura-  
tum vt in  
Gallias su-  
sciperetur.

PP

conficere.

conficere. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 4. num. 86. Quo non confecto (additur num. 90.) & quintum omniumque acerrimum senatus mandatum edidit. Quidquid olim nuperue à quouis contra obiectum esset, SOCIETATEM in Regnum acciperet, vti liberè in Gallijs, quemadmodum in cæteris Orbis Christiani Regnis publicæ salutis seruiret. Exitum rei immatura sanè intempestaque mors Regis SOCIETATIS propugnatoris acerrimi æque ac amatoris abruptit.

Caroli benignitas in Societatem.

7. A CAROLO IX. Qui Lugdunum ad res eius Urbis statuendas veniens, ubi salutatus ab Edmundo Augerio nostro, non dubitavit Rex Christianissimus de susceptis pro Religione laboribus agere gratias, & ad novos incitans, Patris (qui Tuba Franciæ dicebatur) ruere in amplexum: nec solum publico Regni, sed etiam propriæ SOCIETATIS bono consulturum se perbenigne recepit. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 8. num. 80. Nec dubitavit asserere Rex tantus, se vnicum IESVITARVM Collegium pluris facere, & pro Religione, & pro Regni amplificatione, quam Omnium munificentissimam totius mundi arcem: seque IESVITAS, & pro subditis fidelissimis agnoscere huiusque SOCIETATIS incrementum ad gloriam quoque, & Maiestatem Regni, & populi Galliani pertinere. Sic in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 668. ex Montan. in Apolog. pro Soc. cap. 54. Sed proh dolor! Pridie Kalendas Iunii ann. 1574. magno omnium bonorum dolore, & rei Christianæ publicæ incommodo talis ac tantus Princeps cessit è vita: cum ad cætera in SOCIETATEM merita, nuper ei potestatem fecisset, sua quævis obeundi ministeria, Domosque etiam Professas toto Regni statuendi. Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 2. num. 63.

Eius Collegium munificentissimæ arcis pro Religionis amplificatione præponebat.

Societas Musarum & licium.

8. AB HENRICO IV. quem publicè ferunt coram Regni Proceribus id affirmasse, SOCIETATE è Gallijs discedente, Musas quoque illinc abiisse, cum reuertente esse reuersuras. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 4. fol. 345. Et datis ad Rupellanos 15. Kalend. Octob. anni 1606. litteris verè Regijs ita pro Socijs Rex ille cognomento Magnus scribit. Experti (inquit) pluribus in Urbibus

bus Regni nostri probitatem, capacitatem, atque modestiam Patrum SOCIETATIS, IESV, qui in omni consuetudine, moribus, atque doctrina sat liquido ostendunt, nihil se nisi vnam Dei gloriam habere præ oculis. Sic Ibid. lib. 5. cap. 10. fol. 668. Et ibidem addit, Nouem ipsos annos, quibus de re-

Eius scopus  
Dei gloria.

Nil in ea  
non inte-  
gram.

ducenda in Gallias SOCIETATE deliberatum est, diligenter se inquisiuisse, num quid in ea, vel SOCIETATE culpabile reperiret, seque nihil in illa non integrum reperire potuisse, non semel professus est.

Cognita  
nequit non  
amari.

AB EODEM: Qui si quem videbat, audiebatue de Nostro- rum fama detrahentem, cohortabatur: Noris illos (inquebat) eos cognitos non poteris non amare: nam simul atque te in eorum consuetudinem immiseris, & has peruersas opiniones erues, & odium in studium amoremque conuerteris. Ita in Annal. Soc. ann. 1604. fol. 434. Et sepius asserebat: Amo SOCIETATEM vestram. Et aliàs: Perieramus Pater (Rectorem alloquebatur) perieramus. Hæretici iam omnes essemus, exularet à terris meis vera fides, nisi vos obstitissetis. In Annal. Soc. ann. 1608. fol. 237. Et aduersus quasdam ementitas in nos Hæreticorum calumnias aliquando respondit: IESVITAS sibi melius notos, perspetosque, ac longe alios, quam ipsi aut imprudenter iudicarent, aut inuidiosè criminarentur. Ita in Annal. Soc. ann. 1609. fol. 155. Et cum Idem Rex videret alios Hæreticos nostrum Ordinem calumniantes, quod IESV nomen præferret, idque arrogantiæ adscriberent, eorum confutauit ineptias, addiditque, sanè mallem dici IESVITA, quàm alio Nomine Religiosus. Sic apud P. Magallan. lib. Indic. cap. 3. v. 9. ses. 1. annot. 9. Et rursus aiebat; In-

Obstitit ne  
vera fides  
à Gallijs  
exularet.

gentes Indiarum tractus, totque Hæreticorum regiones ad Catholicam fidem, per socios adhæsisse. Qui summè collatus fuit, cum solis Patribus SOCIETATIS in sua Gallia sexaginta sex millium (demptis alijs, quorum præ multitudine numerus ignoratur) ad fidem Romanam à Calvinismo paucis annis traductorum nomina & cognomina accepisset. Ita apud Paul. Leonard. Apolog. pro scient. Med. Par. 2. num. 82. Et aliquando cum amicis de Religiosis Fami-

De Ea  
Henrici  
Regis cele-  
bre testi-  
monium.

Infidelium,  
& hæreti-  
corum mi-  
riades ad  
fidem Ca-  
thol. redu-  
cit.

Aliud eiusdem Henrici testimonium.

lijis disputans, se quidem si animarum saluti operam dare vellet, Societatem; si contemplationi se addicere, Carthusianorum Familiam secuturum fuisse, dicebat. Sic apud P. Rho de Var. Hist. lib. 1. cap. 3. num. 1. de Ign. fol. 44. Nec silentio inuolenda celebris illa eiusdem Regis Christianismi vox: Neminem cui SOCIETATIS res perspecta est, de ea perperam aut loqui, aut sentire posse. Ita in Imag. 1. sec. Soc. lib. 4. cap. 14. orat. 4. fol. 558.

Qui pro Societate ad Gallias restituenda in Senatu perorat.

AB EODEM In Senatu Parisensi pro SOCIETATE acriter perorante. Is cum Reginâ, & magna Procerum Coronâ in Senatum venit pridie Natalitiorum ann. 1603. Hic Harleus primarius Præses bene longam & vehementem in nos Orationem habuit. Epitome erat conuictorum omnium, criminumque quæ Paschasius aliquando, atque Arnaldus in nos declamauerant. Grauter, vehementerque vrgebat, vt Senatus consultum quo toto Regno exulare iussa erat SOCIETAS, Rex adhuc ratum habere vellet, neque de restituendis tam noxijs hominibus ullam admittere cogitationem. Id obnixè rogare Senatores, adductos solo eius vitæ atque incolumitatis amore. Verum Rex Christianissimus sublatis primum in calum oculis, ac sereno vultu quasi causæ nostræ patronum ageret, nervosam contra, iudicioque plenam Orationem exorsus est. Nulla profectò unquam instituta actio nomini nostro honorifica magis, nulla theatro celebriori, nulla maiore Patrono; Eam, vt apud Petrum Mattheum, & Scipionem Duplex reperit, refert Imago 1. sec. Soc. lib. 4. cap. 7. fol. 508. Eam ego, vt apud Becanum Tom. 3. opuscul. quart. Batauic. num. 13. quia fusiori calamo descriptam inuenio, referam. Igitur actis primum gratijs amplissimo Ordini de eâ quam præseferabat curâ, ac sollicitudine de Regis Regniq; incolumitate, cum esset acri vir ingenio, & perspicacissima mente Henricus, dixit.

Et ad rationes contra eam adductas egregie respondet.

Ad 2.

Quod viris è SOCIETATE IESV Poiffiacum obiicitis Contentum, vtinam reliqui ita sese in eo gessissent, atque vnus duoue ex ijs qui peroppertunè eidem interfuerunt; sanè res multo melius Catholicis cessissent. Quamobrem & tunc non eorum

eorum ambitio, sed virtus enituit. Et sanè obstupeſco, dum diſpicio, vnde nam illis vitium ambitionis affingitis? ijs, inquam, qui dignitates, atque Sacerdota quæcumque ipsis offeruntur, reſpuunt: quique vouent ſe ad eadem nunquam aſpiraturos, nec verò aliud in hoc mundo cupiunt, quam omnibus ſuam gratis præſtare operam, qui eâ velint vti.

At diſplicet hoc Nomen IESVITARVM. Cur igitur non diſpliceant qui ſe Religioſos Trinitatis nominant? *Ad 2.* Quod ſi iſtos eiſdem eſſe probitatis, quales ſunt IESVITÆ arbitramini; cur item filias veſtras, eodem nomine, & virtute non æſtimatis, quali Pariſijs extant quæ Filia Dei nominantur? Quin etiam cur vos non iactatis non minus eſſe Ordinis Spiritus Sancti, quàm ſunt iſdem qui Ordinis ſancti Spiritus ſunt Equites mei? ſanè mallem dici IESVITA, quàm alio nomine Religioſus.

Sed additis: Sorbona eos damnauit. Sanè quidem: ſed eos non nouerat: qui ſi ab antiqua Sorbona paſſi ſunt repulſam, iam re melius perſpecta, qui ſunt nouæ Sorbonæ ab iſdem IESVITIS excoluntur, quos & ideo magnopere commendant. *Ad 3.*

Quod autem hætenus permiſſu, & vt dicitis, per modum prouilionis in Gallia vixiſſe, hanc mihi gloriam Deus reſeruabat (quam quidem vt gratiam cæleſtem agnoſco) nempe vt eos ſtatuam, atque omnino ſtabiliam. Itaque poſthac e-diçto, & decreto apud nos erunt. Reges mei prædeceſſores voluerunt eos admittere. Volo ego eoſdem ſtatuere. *Ad 4.*

De Academia Pariſienſi, quæ ijs fuerit aduerſata, id inde accidit, quod alijs diligentiores fuère, atque aprioris (teſtabatur hoc frequentia ſtudentium, quæ ad illorum Collegium confluebat) quodque in ea nondum erant admiſſi. At nunc eos non reſpuit: iubebo enim vt admittantur, quod cogemini à me petere, vt efficiant. *Ad 5.*

Obiicitis: Doctores qui ſunt in veſtro Senatu nihil didiciſſe à IESVITIS. Sic Doctores ſunt ſeniores, id ipſum fateor: ij



enim antequam IESVITÆ Gallis innotescerent, disciplinis alibi operam dederunt. Sed enim non me latet alios secus de ijs loqui, eosque adeò qui vestri sunt Ordinis. Et verò ipsis oculis cernimus eorum absentia, relictam esse desertam Academiam vestram, ad eosque etiam extra Regnum nostrum accurrere, decreta nihil curantes, & pœnas quas aduersus eiusmodi homines promulgastis.

Ad 7.

Quod fœderatis adhaerint, id temporum iniuriæ, non autem ipsis est adscribendum. Certè minore culpa, quàm alij id fecêre: ac certus sum eandem illorum constantiam, cum ijs beneficijs iunctam, quæ erga illos conferam, mihi magis, quàm fœderatis, eos esse deuincturam.

Ad 8.

Bonæ indolis adolescentes (dicas) ad se alliciunt. Ego verò eò magis hoc nomine istos æstimo. Nonnenos fortiozem militum delectum habemus. Quod si studijs, & commendationibus inter vos locus non esset, an ne aliquem vestro cœtu indignum cooptaretis in Senatum? Si IESVITÆ suos vobis præceptores aut concionatores traderent Ignaros, eos sine dubio irrideretis: at cum ingenio valeant eos arguitis? quod sint ad res attentiores calumnia est? in vniuerso Regno quantacumque Collegia obtinuerant, redditus annui eorum omnium non excedebant duodecim, siue quindecim aureorum millia.

Ad 9.

Voto autem Obedientiæ, quo se Pontifici Maximo obstringunt, non adigentur, vt externis propius adhæreant, quàm fiet fidelitatis iuramento, quod mihi præstabunt. Quare nec aliquid quod suo Principi naturali aduersetur attentabunt. Porro votum illud Pontificium, eò tantum spectat, cum eorum opera is qui Pater est Ecclesiæ, & Pontifex Max. vti velit ad conuertendos infideles: ac planè liquet ingentes Indiarum tractus, totque Hæreticorum regiones ad Catholicam fidem per eosdem accessisse, idque est, quod sæpè dixi, si Hispania suis IESVITIS vta est, cur Gallia Gallis IESVITIS non vtetur! an alijs deteriores sumus? Hispania ne Gallis est

ama-

amabilior? Quod si Hispania suis est amabilis, cur Gallia non erit Gallis?

Additis: IESVITÆ ingrediuntur vt possunt. Ita verò & alij faciunt. Quin & ipse vt potui in meum Regnum ingressus sum. Sed & credere, & fateri debemus magnam eorum esse patientiam, quam certè admiror. Hac enim & ipsa vitæ probitate perficiunt omnia. Ad 10.

Neque vero eos minoris æstimo, quod suum egregiè colant Institutum. Propterea enim stabit illorum SOCIETAS, quæ causa fuit, cur nulla in re leges eorum immutauerim. Quod si nonnullarum conditionem imminui, quæ non probarentur externis, fatius est, vt exteri leges à nobis accipiant, quàm vt ab ijs accipiamus. Ac quidquid huius rei sit, mei mecum subditi iam conueniunt. Ad 11.

Quod nonnulli Ecclesiastici IESVITIS aduersantur, scientiam semper odio habuit imperitia. Obseruauì autem cum de ijs restituendis loqui cœpi, duo in primis genera hominum restitisse, Hæreticos, & improbos Ecclesiasticos. Quod quidem acriorem mihi stimulum ad eos reuocandos addidit. Ad 12.

Quod de Pontifice Maximo optimè sentiant, eumque reuereantur, id quoque ipse facio. Hoc tamen non sum nescius nihil ab ijs amplius de summi Pontificis potestate dici, doceriue quàm reliqui Theologi, Catholicaque doceat Ecclesia. Ad 13.

Neque verò aliquid docent, quod Ecclesiastici mihi non tribuant, quod est tribuendum. Nec vnquam inuentus est qui ab ijs necem Regum didicerit. Quare totum hoc quod illis obiicitur, nihil est. Triginta & amplius anni effluxere, cum in Gallia iuuentutem excolunt, centumque Scholasticorum millia ex eorum Collegijs aut studia absoluerunt, aut ad ea quæ Iurisprudentiæ, siue Medicinæ sunt accesserunt. An ne istorum aliquis id se didicisse, vel audiuisse à IESVITIS factus est? Addo. Ministri extant Hæreticorum, qui plures annos Ad 14.

annos apud IESVITAS vixerunt: interrogate eos, quid de vita IESVITARVM sentiant. Profecto censendum est eos quàm pessimè de ijs locuturos, nisi aliam ob causam certè vt suam de ijs emigrationem excusent. Iam vero mihi liquido constat id fuisse ab ijs quæsitum; respondisse autem, de moribus IESVITARVM nihil esse quod obloqui quisquam possit. Quod verò ad doctrinam attinet, neminem latere quid doceant. Sane pauci huic examini se subiicerent, & conscientiam eius opus est esse securam, qui aduersariæ sententiæ stare velit.

*Ad 15.* De Barerio qui me voluit interficere tantum abest, vt IESVITA eius confessionem (quemadmodum dicitis) exceperit, vt à IESVITA præmonitus de tota re fuerim: Bareriumque alter IESVITA monuerit, damnationem æternam incursum, si id vnquam attentasset.

*Ad 18.* De Castello nihil vnquam cruciatibus, & tormentis extorqueri potuit aduersus Baradæum, neque contra alium quemlibet IESVITAM: quod nisi ita res habet, cur eis pepercistis, nec supplicium de ijs sumpstis, qui & in vestra potestate, & adeo erant in vinculis.

Sed demus (non tamen concedentes) aliquem ipsorum id ausum fuisse, an ne omnes Apostoli ob vnum Iudam plectendi fuerint? aut ego satisfaciam pro latrocinijs, criminibusque omnibus, quæ posthac commiserint qui sub me militarunt? Tunc me Deus reddere & humilem, & saluum voluit, quare ei gratias ago. Ipse me docet, vt illatas condonem iniurias quod propter eum facio lubens. Quin & quotidie pro meis hostibus oro; tantum abest, vt hæc meminisse velim, ad quæ parum Christianè me hortamini. Quod quidem mihi accidit à vobis inactum. Omnes egemus gratia Dei: hanc eam bono emam pretio, vt meæ erga alios gratiæ non parcam.

*Ad 19.* De Sororis nostræ Matrimonij dispensatione iam eius sanctitas eam concessit: ac scimus Patres IESVITAS negotio isti non

non fuisse aduersatos. Quod si Hispanus, & IESUITA, & Cardinalis operam mihi suam præstitit, qua benedictionem à nostro sancto Patre summo Pontifice consequeretur, cum fidem Catholicam sum amplexus, cur meos naturales subditos in suspensionem vocatis? ex eis noscam quæ noscenda iudicauero, neque illis aliud quàm quod mihi libuerit communicabo. Sinite, vt tractem, & ducam ipse hanc SOCIETATEM: difficiliore, & minus aptos ad mentem adduxi: Itaque meæ voluntati obtemperate.

Hæc cum dixisset Rex Christianissimus forti, militarique eloquentia omnium stupor, atque admiratio fuit; non tantum quod capita omnia ab Harleo allata tam recenseret, reselleretque accurate, verum multo magis, quod ita palam ostenderet, quanta beneuolentia complecteretur hanc Familiam tot ubique odijs exagitatam. Oratio Regis beneuolorum omnium plausu excepta, freudente licet aduersariorum inuidia: qui beneficium Regis irritum reddere conabantur. Id ubi inaudit Henricus, ad se vocatos stomachosè increpuit; atque illico ad tribunal pergere, neque inde priusquam confecto negotio exire compulit; addito in scriptis decretorio mandato, Vt sine mora, & sine approposita vlla conditione, Decreti sui promulgatio, quàm primum fieret: expensa, examinataque à se omnia; mandare, iubere, vt Societas suis in Gallia sedibus restituatur publica Senatus auctoritate. Et ita factum, & factum bene. Tam expresse Regis voluntati nihil amplius refragari sunt ausi. Hisce literis 11. Ianuarij, 1604 expeditis, omnia ad reditum parari cœpta. Mox & deiecta Pyramis, infame monumentum. Ita refertur in Imag. 1. sec. Soc. lib. 4. cap. 7. fol. 5 10. Restituta igitur Societas suis sedibus ab Henrico IV. post duram hiemem uberius germinare cepit, & velut in fecundiori post otium, & cessationem nouali letiores segetes proferre. Fouit reductam Rex ea benignitate, quâ reuocauerat: cuius quidem beneficij memoria non nisi cum Societate occidet. Sed parum illi fuit, si sua apud nos memoria extaret, suum illud magnanimum, & quale fuit Alexandri pectore, maius mundo COR, in Flexiani Collegij Templo tumulari iussit: vt, quantum Societatem

Et tandem Henrici decreto restituta Societas.

Et diruta Pyramis in eius infamiam erecta.

Et Rex cor suum in amoris pinguis Societati testamento laugauit.

*Cordi haberet, etiam post mortem testaretur. Sic Ibid. lib. 2. cap. 4. fol. 212.*

*Patris sui  
decretum  
de resti-  
tuenda  
Societate  
Ludouicus  
Rex confir-  
mat.*

9. ALVDOVICO XIII. *In Decreto pro Societate peregrinatio-  
Cum Henricus (inquit) magnus Dominus, & Pater noster, in  
obsequij sui bonum, subditorumque suorum commodum,  
vtile ac valde necessarium iudicasset, IESVITAS in Regnum  
suum introducere, ac statuere, habito cum Principibus con-  
sanguineis nostris, præcipuisque Regni Ministris maturo  
consilio, ex ipsorum iudicio, ac suo motu proprio, certa scien-  
tia, plena potestate, & auctoritate regia, eisdem IESVITIS  
edicto lato, mense Septemb. ann. 1603. facultatem concessit  
redeundi, & habitandi in locis, ac partibus præfato Edicto  
contentis, alijsque postmodum literis suis concedendis. Quo  
Edicto in Regio nostro Parlamento Parisiensi registrato 2.  
Ianuar. ann. 1604. præfatus Dominus, & Pater noster eisdem  
IESVITIS plurimas Regni huius Ciuitates inhabitandi pote-  
statem fecit: quod quidem summa cum subditorum nostro-  
rum voluptate factum, & executioni mandatum est, qui in  
educatione filiorum suorum ad pietatem iuncto bonarum  
literarum studio, quidquid optare potuissent, affecuti sunt,  
vt in ipsorum manus proprium cor deponere statuerit. Quod  
quidem post eius obitum ipsis traditum, & in Flexianum  
Templum delatum fuit. Ideo ne quis voluntatem nostram  
in dubium reuocare possit, ex certa scientia nostra, plena po-  
testate, proprio motu, & auctoritate Regia ob eadem ratio-  
nes, quæ prædictum Dominum & Patrem nostrum permo-  
uerunt, quæque adhuc perseverant, præsentibus manu no-  
stra subscriptis, & iudicio dilectissimæ & honoratissimæ Re-  
ginæ regentis Matris nostræ, consanguineorum nostrorum  
& præcipuorum Regni nostri Ministrorum laudauimus, con-  
firmauimus, & rationem habuimus, laudamus, confirma-  
mus, & rationem habemus, præfatorum Iesuitarum in hoc  
Regnum nostrum, partes, terras, ac dominia nobis subdita  
admissionem. Ac quantum opus est, aut foret denuo concessimus*

simus, ac permiffimus, concedimus, ac permittimus ipsis poffe ac inhabitare, in quibus admiffi funt, aut in pofterum admittentur, obferuando ea, quæ in præhabito menfe Septembri Edicto ann. 1603. continentur; alijsque literis, ac ordinationibus à præfato Domino, ac Patre noftro factis, quibus placet nobis, ac volumus eos vti, ac modo vtuntur, & gaudent. Præcipimus Confiliarijs noftreis in Curia Parlamenti Senefchalchis, ceterisque iuftitiæ Adminiftris, quorum opera requiretur, quatenus has literas noftreas, ac IESVITAS integre, pacifice, ac perpetuò vti, & gaudere curent, &c. *Hæc Rex Chriftianiffimus, qui etiam in Societatis amore Patri fuffeffit: apud Becan. Tom. 4. Opufc. in examine Concord. Anglican. n. 19. titul. de Henrico IV.*

\* AB EODEM Literis ad Greg. XV. pro Canonizatione S. P. N. Ignatij, datis Parifijs 24. Febr. ann. 1621. Nulla (inquit) ex omnibus gratijs, & fauoribus, quos à fancta Sede poffum obtinere, tantam mihi dabit voluptatem, ac hæc fola, ob primam educationem tam in rebus fidei Catholica, quam in bonis moribus à Patribus Societatis emanatam. Illi huc vſque magno bono, profectuque meo magis intima meæ confcientiæ fecreta gubernarunt. Ad hanc Canonizationem perendam moueor, quia fpero firmiter B. Ignatij interceffionem protectioni mihi futuram, & iuuamini potentiffimo ad eas res exequendas, ad quas à Deo miſſus in mundum, & in quibus Religio, quam fundauit, publica vtilitate laborat, æquè deſtruere, ac de medio tollere hærefes, ac Religionem Catholicam amplificare, &c. *Ita apud P. Andr. Luc. Vit. S. Ign. lib. 7. cap. 17.*

AB EODEM: *Qui hanc inſcriptionem Societati perhonorificam, internique fui amoris indicem in Monte Martyrum iuffit inſculpi.* D. O. M. Siſte ſpectator, atque in hoc Martyrum ſepulchro probati Ordinis cunas lege, Societas IESV, quæ S. Ignatium Loyolam Patrem agnoſcit, Lutetiam Matrem, anno ſalutis 1534. Auguſti 15. Hic nata eſt: cum Ignatius, & Socij votis

Qq 2

ſub

Expetit à Pontifice B. Ignatij Canonizationem.

Et Societas hæreſum deſtrictricem, & fidei Cathol. amplificatricem appellat.

Cui perhonorificam in Monte Martyrum inſcriptionem ponit:

sub Sacram Synaxim religiosi conceptis, se Deo in perpetuum consecrarunt ad maiorem Dei Gloriam. Sic refertur apud P. Daniel. Bartoli in *vita*, & *Instit. B. Jgnat. lib. 1. pag. 176.*

*Et Univer-*  
*sitatem ab*  
*Hæreticis*  
*ablatam*  
*tradit Rex*  
*Christia-*  
*nissimus.*

10. \* A LUDOVICO XIV. Paterni amoris erga Societatem æmulo, qui cum Hugonotistæ Sectarij in Civitate de Montaluan Univerſitatem cum Templo struxissent, in qua publicè non modico Catholicorum Regni scandalo, hæretica doctrina docebatur; precibus Serenissimæ Reginæ D. Mariæ Tereſiæ Austriacæ uxoris suæ, & Philippi IV. Hispaniarum Regis Catholici dignissimæ Sobolis, civitatis Prætozem Hæreticos ex uniuersitate, quam occupabant, expellere præcepit, eamque Societatis curæ tradere, ut ibi Deo debitus cultus redderetur, Sanctorum imagines colerentur, & artium, ac Theologiæ studia in Sectariorum perniciem Catholicis traderentur: Sed cum multi Hæretici urbem illam incolerent huic decreto resistere. Christianissimus tamen Rex collecto exercitu eos armis subegit, maiorisque noxa reos plecti, & relatam Uniuersitatem Societati nostræ tradi iussit. Ita in *Relat. edit. Hispal. ann. 1662.* Quod amoris in Societatem signum ab utroque coniuge Christianissimo sui Regni in itijs editum, maiora beneuolentiæ pignora nos iubet in dies sperare.

## A R E G I B V S L V S I T A N I Æ.

*Regis Lu-*  
*sitani in*  
*Societatem*  
*Studium.*

*Quam se-*  
*rotam suis*  
*expensis su-*  
*ſtentaturâ*  
*aciebat.*

11. A IOANNE III. Qui mirificè erga nouum hunc Ordinem afficiebatur: Collegiorumque in instituenda iuuentute Consilium probabat quàm maximè: idemque ingens aliquod eiusmodi Collegium recipiendis SOCIETATIS alumnis, quod Euangelicorum non in Lusitania modò, verum etiam in India totâ Seminarium foret, moliebatur, disertè Petro Mascarenia professus, Se quidem uniuersos de SOCIETATE in suo Regno quacumque impensâ libenter habiturum. Quæ quo propensius fierent, ad litteras Apostolicas

stolicas, quibus SOCIETAS confirmaretur primo quoque tempore consociandas, non suam modo, verum etiam Imperatoris, Regisque Galliarum operam, studiumque detulit. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 2. num. 106.

AB EODEM: Cuius tanta in SOCIETATEM, ac socios Paterna voluntas, ut Patrem Simonem Rodericum egrotantem, non alienum duxerit à Maiestate sua, vna cum Principe Filio, Episcopisque nonnullis inuisere. Nec ita mox Eboræ cum per æstiuas gymnasij ferias, illac quidam è Conimbricensis Collegij socijs ad adèm B. Mariæ ad aquas lupias SOCIETATIS more peregrinarentur; Rex eo, quo incedebant habitu ad sese clementer admisit, & ad constantiam susceptæ mentis, peramicis & tempestiuus monitis excitauit; siquellac præterea iter peregrinantes haberent, iussit, ad se omnes adduci; eorum conspectu quasi Pater indulgentissimus gaudens. Sic Ibidem lib. 4 n. 136.

Et in filio Rodericio, ac alijs honorat.

AB EODEM; Qui Concilio Tridentino SOCIETATEM nostram cum studiosissimè commendasset, graui oratione testatus est, Quàm illa, non in Lusitania modo, sed in ipsis etiam Indiæ regionibus, pro Dei gloria & animorum commodis desudaret. Addidit & id SOCIETATI oneris seu honoris Rex, ut Simon loco Ioannis Suarij, Conimbricensi Ecclesiæ Præpositi, institutionem suscipere Principis, rogato B. Ignatio, ut ad id muneris permanere eum in Lusitania fineret. Sed neque pietati eximia Regis, neque ingentibus erga SOCIETATEM meritis, quod postulabat, potuit denegari. Ita Ibidem lib. 5. num. 57.

Illam pro Dei gloria, & animarum commodis desudat.

At Rodericus instituendo Principi præficitur.

AB EODEM: Qui in regio Concilio, Senatuque decreuit, suffragante etiam Ludouico Regis fratre, & verbis amplissimis eandem SOCIETATEM ornante, toto vt Oriente, vbicumque ea Collegium haberet, habituraue esset aliquando, præsto ei forent ad omnem nutum in propaganda Christi fide, Neophitisque iuuandis non modo Ecclesiæ vniuersæ, verum etiam Regij omnes Præfecti, ac Magistratus suppeditandis opportunitatibus omnibus, necessarijsque subsidijs. Tantumque

Societas Regijs Magistratibus commendata.



*Patribus pro sua pietate Rex tribuit, cunctis vt Prætoribus æque præsentibus, ac futuris id mandati dederit, Vt quocumque Patres ingredi rei Christianæ causa percuperent, nullo eis loco, subsidioque deessent: vt quidquid illi, vel ad amplificandum Christi cultum, vel ad confirmandos hominum mores necessarium in præsijs iudicarent, id ipsi de eorum sententia, atque consilio sine vlla hæsitatione præscriberent. Commendatitias etiam litteras ad Pontificem Iulium Comimbriçã dedit, quæ dicebant, Quantas fruges, vtilitatesque illorum Patrum genuisset aduentus, quos singulari Dei prouidentia in sua Regna prior Pontifex destinasset, seu formandis è Christiana disciplina moribus Christianorum, seu vocandis ad Christum Ethnicis, & alienis à fide. Magnam autem exinde spem amplificandæ Religionis affulisse, seque in animum induxisse, cum in omni Lusitaniæ Regno, tum in Indicis Regionibus SOCIETATIS Collegia passim condere, & per eam opportunitatem omnes Euangelio aditus aperire, modo eius sanctitas votis, atque conatibus obsecundaret, & bonis aspiraret initijs. Proinde Simonem Rodericium ab se Romam consulto mitti, vt suo nomine, quæ ad secundum Rei Christianæ cursum pertinere viderentur, exponeret: cui paternæ benignitatis aures patere faciles vellet, & quæ in eam rem postularet, large concedi. Ita Ibid. lib. 10. num. 131. Et insuper Idem Rex piensissimus alias litteras satis Societatis commendatitias ad eundem Pont. Iul. 3. dedit Olyssipon. 30. Iun. ann. 1553. quæ Lusitano idiomate habentur in Chronic. Hist. Soc. Lusit. Par. 2. lib. 4. cap. 12. fol. 56. num. 4.*

*Et Pontifici literis perhonorificis.*

*Lusitani Regis alacritas in aduentu Roderici, & Xauerij.*

AB EODEM: *Qui benigne excepto Xauerio, & Simone Rodericio, se, suamque illis operam ad Indorum auxilium offerens in magna procerum corona, Summopere (inquit) lætor Patres de vestro in Lusitaniam ad Indiæ salutem aduentu. Neque dubito quin eadem vobis haud minoris lætitia sit causa, quàm mihi: aperitur quippe vestræ industriæ immensa vastitas Indiæ, quæ diligenter, vt spero, & constanter exculca vberimos fructus pro-*

promittit animorum: tanta ubique cernitur ad Christi fidem propensio. Equidem per omne Regni tempus antiquiorem religionem, quam regnum habebō: tum demum illarum me gentium Regem existimaturus, cum eas cælesti Regi parere cognouero. Quocirca nihil mihi spero etiam Deo à vobis gratius accidere potest, quam ut mecum totis viribus in eandem incumbatis curam Orientis Christo communi Domino adiungendi. Si cum vestris dissimilibus agerem, hortarer vos, ne obstantis naturæ difficultates, exæstuantis oceanus minas, infiniti penitineris ærumnas, barbararumque gentium congressum formidaretis: ne quo aliorum cupiditas alacris aduolat, vestra pietas cunctaretur ire. Verum quid ego vestram virtutem accendere verbis coner, cum sat nouerim vos Christo, & Euangelio militantes, diuinam gloriam, salutemque hominum ex periculis accersere? nec quidquam optabilius ducere in vita, quam pro Deo honesta morte defungi? Nihil profecto natura ita clausit, quo non valeat vera virtus perumpere. Deo bene iuuante, non Indiam solum Euangelio aperietis, sed vltima quoque Orientis. Ibi vos aut vita meritis conspicua, aut gloriosus vitæ exitus manet. Proinde dum classis se instruit, vernum tempus expectans, vos quoque ad iter necessaria comparate. Nobis curæ erit præstare, ut neque in Lusitania, neque in India quicquam requiratis. *Hæc Rex prudentissimus apud Turselin. in vit. S. Xauer. lib. I. cap. 10.*

*Cujus cura  
totius O-  
rientis con-  
uersionem  
committit.*

AB EODEM: *Qui tanti Societatis homines fecit, ut per inuitos licet, & sæpe reclamantes Apostolos nominaret. Quod nomen adeo socijs, & Societati gloriosum ad nostra vsque tempora in Lusitania perseverat, diuinoque fauente Numine perseverabit in futura. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 12. fol. 667. Et paulo ante cap. scilicet 9. fol. 657. eiusdem libri hæc de illo habentur. Illi India inuectam in suos fines Societatem: Illi Xauerium legatum primò Apostolicum, tum deinceps Apostolum ipsius India debet Societas: Illi structa & hic, & in Oriente gymnasia: Illi edificata Tempia: Illi commissam etiam*

*Et Socios  
Apostolo-  
rum nomi-  
ne conde-  
corat.*

*Quanta il-  
li debeat  
Societas?*

*Regiam*

Regiam iuuentutis institutionem : illi confirmata & constabilita decendi, dicendique privilegia.

Tum in  
Lusitania,  
tum in  
India.

AB EODEM : Qui nec verbis facile explicari potest quanto in amore hanc nouam familiam Rex Ioannes habuerit, sub illius enim auxilijs, & tutela adoleuit, & breui collectis viribus ad heroica per orbem facta extendit cum Sole manus. Conimbrica numerosum Collegium, ubi ducenti, & eo plures Socij alerentur, Regia munificentia edificauit : illisque minores Academiae Conimbricensis Scholas, Philosophiæ videlicet, ac triplicis linguæ regendas tradidit. Olyssipone insignem D. Rochi domum professam, Goæ in Principis Orientis vrbe S. Pauli Collegium, aliud Bayæ in Brasilia. Quæ tria Collegia trium Societatis Prouinciarum tam diffitis in Regionibus sunt capita, & reliquorum maxima; longumque foret innumera non tam Regis, quàm Parentis amantissimi in Societatem vniuersam collata beneficia recensere. Ita in Anacephaleose Regum Lusitan. per P. Ant. Vasconcellos. Anacephal. 12. fol. 287.

De illa Se-  
bastiani  
Regis esti-  
matio.

12. A SEBASTIANO I. Qui breue fuit suæ gentis solatium, longa spes, æternus dolor, & Societatis amantissimus adeo, vt plane fateretur, Se suorum Religiosorum operâ, & doctrina plurimum vti. Sic in Bull. Pij V. incipit Æquum ann. 1575. Item idem Rex piensissimus videns Socios, qui ex Italia ad salutem Indorum procurandam venerant dixisse fertur: Quam gratiam Proposito Generali referam, qui tam insignia nobis ad rem Indicam subsidia submittit. Sic refertur apud Trigausium de Christiana expeditione ad Lettorem fol. 1. col. 2.

Et libera-  
litas in  
fundandis  
Collegijs.

AB EODEM : Qui putrescentes populi consuetudines Euangelico Sale vt condiret, religiosorum hominum familias, & diuini verbi præcones mirifice coluit, & amplificauit. Quam ob causam duo è Societatis IESV in Insulis Collegia, alterum in Vrbe Funchalensi, alterum in Angrensi excitauit : tria quoque apud Brasilos, quatuor apud Indos : quæ tandem alia intra Imperij sui fines ab alijs erant dedicata, redditibus auxit. Enimvero Societatis alumnos, Eborenses imprimis, ubi diutius Sedem fixit, non dilectione tantum, sed amore prosequeretur, cuius familiæ nuperrimum Institutum sui maximè stomachi

stomachi esse; adstantibus saepe aulicis predicabat: aiebatque, impudentiae mancipia videri eos, qui optimum istud genus hominum, confutis mendacijs cauillarent, & caninis dentibus admorderent. Ita apud P. Ant. Vasconcellos in sua Anacephal. Regum Lusit. Anacephal. 20. fol. 314.

Societatis cauillatores, impudentiae mancipia nuncupabat.

13. AB HENRICO I. Rege Cardinali, qui Societatis nostrae defensor egregius. Cum enim Religiosus quidam vir Alfonso à Fonte multas Baetica oras contra noui Ordinis homines declamando peruagatus, Undique transgressus in Lusitaniam contra Societatem, & Ludouicum Granatensem notissimum virtute, ac sapientiae virum, Henrico tunc Cardinali Quaestori, & Concilio Sacrae Inquisitionis libellos turpissimos obtulit, ac protinus in Castellam suffugit: vbi alios eiusdem notae libellos sacro Magistratui à se oblatos dicebat. Cardinalis Rex, Inquisitorque calumnia cognita, reiique indignitate commotus, vltro Emanuelelem Autunium è suis vnum Secretarijs cum litteris, mandatisque ad Philippum Regem, Apostolicum Nuncium, & Quaestorem Hispaniae misit rogans, vt iuberent causam cognosci, iusteque decerni. Ascitur calumniator, cumque summa modestia ac poenitentiae significatione ad palinodiam se paratum offerret, iussus est in custodiam haberi Hispali in Ordinis sui Cœnobio, & aliae additae poenae. Quamquam exemplum Henricus magis vulgare optasset, vti fuerat calumnia notior. Sic ille pro Societatis honore restaurando militabat. Ita refertur Par. 4. Hist. Societ. lib. 4. num.

Defenditur ab Henrico.

139.

AB EODEM: Qui cum primas sedes in Lusitanico Regno ponere inciperet Societas IESV, quorum homines audierat Optimus Praesul, ex propria Instituti sui ratione ad iuuandos proximos esse formatos; nihil moratus accersitos ad se spargit illico per oppida sua ditioris, & erga proximos commendat officia. Qua in re ita fructuose desudarunt luce doctrinae, & exemplo vita, vt intra paucos

Qui Socios ad proximorum salutem per sua diocesana oppida spargit.

mensis alia rerum iam apparuerit facies, morumque deprauatorum expulsis tenebris noua lux exoriri caeperit Translaganis. Quâ re permotus Henricus, vtriusque Institutum Societatis altius perpendens, ac modum procedendi, tum domi erga Deum, tum foris erga

Ri proximos

Et Collegium antea Clericis destinatum, tradit.

proximos, ratum habens, cogitata sua (quae nuper quasi augurans Eborae perfecerat, erecto Collegio ad alendos clericos, qui postquam moribus ac litteris profecissent, dioecesim iuuare possent) huc tendere Numine impellente statuit, hosque quasi fatis signatos Clericos plane agnoscens, ijs ablutum Collegium tradidit, exiguis quidem adhuc numero, sed ministerio, quod agitabant, viuendam virtutem praefertibus. Ita apud P. Ant. Vasconcellos in Anacephaleose Regum Lusit. Anacephaleos. 21. fol. 330.

Duplicemque aliam domum.

AB EODEM: Qui Collegium Alumnorum Purificat. Virginis instituit, & Societati etiam submitit: Praeterea Domum struxit amplam excipiendis, curandisque pauperibus Scholasticis, Christiane pietatis insigne opus, plenamque administrationem eidem Societati commisit. Nec omittenda hic similia beneficentiae monumenta in tam praeflato Principe. Nullum enim de Societate IESV bene merendi finem facienti placuit non multo ante obitum tempore Collegia fere omnia amplissimis augere beneficijs, ac donis. Nam Collegij D. Antonij Olyssipponensis fundatorem se praestitit. Sed & Bracharensi Collegio Monasterium Rorisum, annuente Summo Pontifice dono dedit. Sic Ibidem fol. 331. & 332.

Et pluribus amplificatis Collegijs, Olyssipponense fundat.

Et Eborensi sibi in domicilio eligit.

AB EODEM: Qui, vt fuit Regno habilis Sebastianus, Regnum illi felici pace gaudens, opulentumque Solemni ritu tradidit: Et cum iterum Henricus euectus à Clero in Sedem Eborensis Ecclesiae, Collegium Societatis nostrae elegit in domicilium, ac parua cella contentus, cum Religiosis hominibus colloqui, ac familiariter agere in delitijs habebat. Ita Ibidem fol. 334.

Societatemque successori- bus supra alios Ordines testamentamento commendat.

AB EODEM: Qui cum Societatem vnice in vita semper adamasset studium erga eam suum testatum posteris voluit post mortem: non modo Eborensi Collegio, & Academia condita, fundatisque Olyssipponensi, & Bracharensi Collegijs, sed etiam hac testamenti commendatione perhonorificâ. Praeterea (inquit) obnixè contendo, atque efflagito, quod mihi tum ab eo in primis praestari cupio, quemcumque mihi tandem successorem iura decreuerint: tum ab ijs omnibus, qui vilo vnquam tempore legitime succedent, vt ceteris semper Religiosorum hominum Ordinibus

nibus præsidio sint, & Hieronymianæ, Franciscanæque, ac Dominicanæ Familijs præsertim faueant. Religionem vero Societatis IESV, eiusque Collegia, atque Academias tueantur, & foueant: quippe in quibus tam multa fiunt, quæ ad honorem Dei redundant: tamque multi instituuntur, & educantur, quorum vbique officia vsui sint futura: quippe tanto cum fructu operam suam collocare possunt in ijs gentibus ad fidem Christi perducendis, quarum ad hoc maxime Regnum spectat, saluti consulere. *Hæc Rex Cardinalis Societatis amantissimus vel in ultimo vitæ spiritu. Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 8. num. 259.*

AB EODEM, *Hiscæ literis peregregijs Pontifici Societatem, eiusque mirabiles in Ecclesia fructus, mirifice commendante: Beatissime Pater; præter alia mandata, quæ Aluaro Castrensi Regis Domini mei legato dedi, hoc illi onus imposui, vt omnia negotia, quæ ad commoda Societatis pertinent, singulari cura, & diligentia procuraret: his enim moribus præditi sunt huius Societatis homines, & ea documenta pietatis, & Religionis dare solent, eamque vtilitatem Christianæ Reipublicæ multis in locis attulerunt, vt maximo Christianorum Principum fauore valde digni iudicandi sint; Eborensis autem Academia maximis quidem meis sumptibus ædificata est, sed quod verum est eorum industria, atque vigilantia eò peruenit, vt ex ea nunc non mediocres fructus Ecclesia tantum Eborensis, sed etiam aliæ huius Regni Ecclesiæ percipiant: est enim literis Græcis, & Latinis, & Philosophiæ, atque Theologiæ studijs, & quod caput est, sanctitatis, & Religionis exemplis instructissima. Hæc tamen omnia Sanctitatis Tuæ ope destituta, iacebunt, neque diu poterunt vim, & dignitatem suam retinere: quapropter Illam suppliciter oro, vt velit plurimum suæ benignitatis huic Societati impertiri, vt ea ratione possit multo vberiores fructus afferre. Sed de his Regis Domini mei Legatum admonui, vt cum Sanctitate Tua, ea quæ mihi videntur fore huic Religioni salutaria li-*

*Et Pontifici literis per honorificis.*

benter ageret: illam vero quantum possum oro, & obsecro, vt eidem legato fidem adhibeat. Felicissime valeat Sanctitas Tua, quam Deus omnibus ad Ecclesiæ suæ tranquillitatem, & pacem diutissimè conseruet, &c. Olyssipone 4. Kalend. Ianuarij, 1568. *Hæc ad Pontificem Pium IV. Epistola Principis Cardinalis Henrici, dem Lusitani Regis meritissimi: & habetur in Chronico Hist. Societ. Lusitanæ Par. 2. lib. 5. cap. 32. fol. 398. num. 4.*

*Et Cardinali, alijs literis peregrinis.*

AB EODEM, *Alterâ Epistolâ non minus Societatis commendatitia: quam ille ad eminentissimum Cardinalem Romæ existentem, multis retro annis in hunc modum scripserat.* R<sup>mc</sup>. in Christo, & Illustrissime Domine, Dominationi colendissimæ humillime me commendo. Cum Ludouicus Gonzalez Societatis IESV ad Curiam Romanam proficisceretur, cum sine meis ad Reuerendissimam Dominationem Vestram literis venire nolui; tum vt eum ipsi vehementer commendarem virum nobilem, & virtutis nomine commendatum, mihiq; probatum; tum etiam vt apud ipsam testaretur ex huiusmodi Societatis fratrum sanctis moribus, constanti virtute, & indefessa quadam in ijs omnibus, quæ ad animarum salutem pertinent, diligentia, postquam ea Societas apud nos fundata est, vberes, & insignes fructus consecutos esse: nec modo in hoc Lusitanæ Regno ipsorum pietas viget, sed ad extremam vsque Indiam, imperiumque Sinarum, nouumque Orbem longe lateque se diffudit, & propagauit. Porro ipsorum virtutem cum ipse sæpe alias multis documentis perspectam habeo: tum maximè hoc tempore expertus sum, quia ipsorum familiaritate (propter Collegium, quod in eiusdem Societatis vsu in Ciuitate Eboræ construendum duxi) frequentius vter: quidquid igitur gratiæ, fauoris, benignitatis suæ in istum Ludouicum, atque adeo in vniuersam horum Regnorum fratrum IESV Congregationem R<sup>ma</sup>. Dominatio vestra contulerit, velim sibi persuadeat id meritis ipsorum futurum, mihiq; id ipsum pro eo singulari studio, animique propen-

propensione, qua eosdem amplector, fore gratissimum; cætera quæ ad eiusdem Societatis bonum, incrementumque spectant (de quibus fufius cum ipso Ludouico egi) idem melius, commodiusque R<sup>mæ</sup>. Dominationi Vestræ exponet: quamobrem ijs scribendis superfedendum duxi: eamque oro, vt fidem integram eidem adhibere dignetur. R<sup>mam</sup>. Dominationem Vestram in Domino Deus conseruare dignetur. Olyssipone die 26. Ianuarij, anno 1553. Sic Cardinalis Rex ad Cardinalem. Ibid. l. 4. c. 12. fol. 56. n. 4.

\* AB EODEM: *Qui dicere consueuerat. Suorum oculorum pupillas tangere, qui tangeret Societatem: Et rursus Infanti Ludouico fratri multoties dixit, pluris eum facere, ac diligere, ob eius amorem, ac deuotionem erga Societatem, quam quod fratris Regis filius foret. Hinc quoties quis ab Henrico Cardinali Rege aliquid impetrare uolebat, speciale aliquod beneficium à se Societati factum manifestabat. Ita Ibid. idioma Lu- sitano refertur. l. 5. c. 31. f. 395. n. 5.*

*Quanta  
Henrici de  
Societate  
estimatio.*

## A R E G I B V S P O L O N I Æ.

14. **A**B STEPHANO BATHORIO: *quo tempore in Polonia Regno Catholica Religio, vnaque Societas, ipso Stephano in primis adstante, quanquam non sine aduerso impiorum restatu prouehabatur: suum Rex aduersus Societatem animum satis aliunde notum, datis quoque ad eam literis testatum voluit. quæ sic se habent.* Venerabiles, deuoti, nobis dilecti. Significatio præclaræ voluntatis vestræ erga nos, quam partim ex literis vestris, partim ex proluxa Ioannis Zamoisci Secretarij nostri relatione cognouimus, gratulatio item, & preces pro vniuerso successu rerum nostrarum fuere nobis, & sunt gratissimæ. Talibus enim præsidij potius, quæ ex diuini auxiliij fonte promanant,

*Stephani  
Regis de  
Societate  
honorifica  
litera.*

Rr 3

nant,



nant, res nostras communiri, quàm vllis humanis viribus, quæ fluxæ, & caducæ sunt, optamus: quæ ad hoc vsque tempus Dei benevolentia, non mediocri rerum nostrarum profectu, magno nobis adiumento fuisse; est quod Dei clementiam laudemus, illique gratias agamus. Quod verò Ecclesiæ Dei, atque vniuersæ Reipublicæ Christianæ causam nobis diligenter commendatis; id, quemadmodum à pio, laudabileque vestro affectu proficiscitur; ita nobis præcipuæ curæ semper fuit, ac longe maiori in posterum futurum erit. Nam nobis quidem, & existimationi nostræ, vltra etiam merita nostra iam olim diuino munere satisfactum est. Nunc eo labor omnis conferendus erit, quo ornamenta hæc, quæ liberalissima manu in nos Maiestas diuina contulit, ad eum fontem, cui in primis debentur, relabantur, diuini scilicet nominis laudem, & propagationem, & Reipublicæ Christianæ incrementa. Ad quam rem melius ex animi sententia conficiendam, cum vester Ordo vel in primis nobis apprimè sit necessarius: merito nobis & est, & erit semper gratissimus: quod tum re potius, quàm verbis declarabimus, vbi primum Regni huius nostri negotia composuerimus, ac ad optatam quietem omnia perduxerimus: quod vt quamprimum fiat pijs precibus vestris effici debet: quibus nos etiam atque etiam diligenter commendamus. Bene valere deuotiones vestras cupimus. Ex Castris ad Gedanum die 24 mensis Iunij anno Domini 1577. Regni nostri anno secundo. *Hucusque Stephani Poloniae Regis, Magni Ducis Lituaniae, Prussiae, Mosauiae, Samogitiaeque, nec non Transyluaniæ Principis de Societate littera perhonorifica. Quas grata memoria duximus hocce in volumen ad litteram illigare. Habenturque Par. 4. Hist. Soc. lib. 5. num. 77.*

*Idem vouit se Collegium fundaturum, si victoriam contra Hæreticos consequatur.*

AB EODEM; *Qui tendens contra Hæreticos Gedanenses, ac perduelles, qui numerofo exercitu Regnum infestabant; vouit, si Gedano potiretur, Catholica ibi restitutum sacra, & Societatis Collegium positurum: paucisque post diebus præclaram retulit ex hoste victoriam. Ita Ibidem num. 78. Et cum Stephanus Transyluaniæ*

*Syluania Princeps in Polonia Regem eligitur, inter prima perbenigni erga Societatem animi pignora, Collegiorum possessiones, quoties tributum Pagis imponeretur, iussit immunes esse: ac summam, qua exigenda ex illis foret, ex Fisco regio compensari. Sic ibidem lib.4. n.79. Nunquam is desisteat Societatem, quoniam ad incrementa publica pietatis, in curia Principum utilem experiebatur, nouis augere Ornamentis. Vilnensis Collegij vectigalia, quod & ad emolumentum, & quietem Religiosam pertinebat, cum alijs opportunis commutauit, admiratus diuinam in ea re prouidentiam, quod senatus ipse Hereticus eam illi causam commendasset. Ita Par. 5. Hist. Soc. l. 1. n. 107. Quanta Stephani Regis pientissimi pro Collegio Polociensi cura fuerit, explicari non potest; quamdiu, quamque impense, accito Vilna Petro Scarga, cum eo, & Consiliarijs suis in Collegij eius conquirendis firmandisque censibus totus animo versatus sit, tanquam nihil prater ea curarum haberet. Sic Ibid. num. 113. Rursus tuetur in Transyluania, & auget Claudiopolitanum Collegium. Ita Ibid. num. 154. & 156.*

*Eius in Societatem & munificentia.*

*Et pro Collegio Polociensi cura.*

*Claudiopolitanum tuetur, & auget.*

AB EODEM: Qui Grodna Ecclesiarum euerfarum reditus, & alios paratos habebat: vbi, non ad populi solum vsu, sed etiam ad suum, ac suorum aulicorum adiumentum, aiebat, se Societatem requirere. Multum enim Stephanus eam delectabatur vrbe: quam sibi viuo, eandem mortuo destinabat sedem, in Templo, quod Collegio extrueret, tumulo excitato. Hec omnia consilia vbi plane, fuseque Campano exposuit, ille de Societatis Instituto dicere aggressus, & quam ob causam multa refugerat noua Collegia, ostendit maximè eas causas valere in Polonia. Et multas in hanc sententiam cum audisset Stephanus, vario (vt apparebat ex vultu) animi habitu, primum aliquantum hesit, dein cum graui gemitu, Non debeo Ego, inquit, esse iudex, & censor vestri Instituti, quod sanctè ordinatum est: dixeram tamen, quod mihi videretur; & addidit pene plorans, Nunc quando vobis non licet, & illi, qui deberent, vel nolunt, vel nesciunt, computrescimus in sordibus nostris. De Bresta non amplius institerim, qui locus tamen erat operæ vestræ egentissimus. Grodnæ vero

*Institutum laudat.*

*Soc. Collegia pene plorans expetit.*

vero

verò non mihi denegabitur, quominus Collegium fiat, vbi saltem viginti alantur, & humaniores tradantur literæ. Nam vt excursionibus iuuentur loca ista (*Campanus eas dilaudauerat*) Spes valde exigua est: est enim inuentum spiritus sancti, vt tute ipse dixisti, quod de Seminarijs Tridentinum Concilium ad instituendam iuuentutem decreuit. Quippe senes, qui in excursionibus audiunt aliquid, vel obdurantur magis, vel fides, si conuertantur, non agit tantos radices, vt sine irrigatione perpetua durare possit. Adeo consuetudo in aduersum insedit. Qui ab teneris annis pietate vera, solidaque imbuuntur, hi nobis nouam formant rempublicam, planeque Catholicam: eo Scholas requirimus, eo Collegia vbi facultas datur, erigimus. *Tum rursus ad Grodnense Collegium reuersus Rex Stephanus multam de eo fecit orationem: quod cum perseueraret, datis quoque ad Pontificem literis, petere, Claudius denegare non potuit. Sic refertur in eadem Par. 5. Hist. Soc. lib. 4. à num. 81. ad 82. Tom. 1.*

*Grodnense  
admissum  
instante  
ipso Ste-  
phano Rege.*

*Ingens eius  
studium in  
res Socie-  
tatis.*

*Et lacry-  
ma. in casu  
Nostrorum,  
praesertim  
Capecij.*

AB EODEM: *Qui, dum haberetur Varsoviae Regni Conuentus, in eo cum de confirmandis Polocensis Collegij fundis reserret, ita sermonem instituit, vt post laudes Societatis non vulgares, diceret vitam sibi ereptam malle, quam eius voti compotem non fieri. Ita Ibidem lib. 5. num. 72. Et cum 27. è nostris peste extincti, quæ communi strage Regnum vexabat, sic Stephanum Regem graui dolore affecti; vt sepius illacrymatus dicatur, nominatim Capecio nostro, quem in Lelesij assidue decumbentis locum, institutorem Sigismundo Principi destinabat. Adiecta tamen ad remedium cura exiguas illas Nostrorum Transyluaniae reliquias amantissimis literis consolatus, ad Claudium Generalem diligenter scripsit, supplementum postulans, ante omnia Rectorem Capecio similem. Sic Ibidem l. 6. n. 39. In morte duo reliquit Stephanus testamenta, alterum iam pridem conditum, alterum ipsius manu hoc supremo tempore inchoatum, quod deficientibus viribus, non perfecit. In eo post alia multa Orationem ad Sigismundum reuocans, verba hæc addidit. Ad Te redeo Carissime nepos Princeps Transyluaniae Sigismundi Battori,*

Battori, Tibi in primis Collegium Claudiopolitanum, & Albenſe lego, & committo: quæ Collegia Pater tuus, & Ego fundauimus proprijs ex facultatibus noſtris ſine cuiuſquam iniuria. Quæ ita tuearis, & defendas, quatenus animæ tuæ, patriæque cui præſ falus tibi cara eſt. Non deerunt puto Ariani, atque in primis Caloſnarienſes, qui ea euerſa velint. Fauebunt ijs Senatores tui omnes, aut Caluiniſtæ, aut Lutherani, nec deerunt opportunitati iuuenes, aut Aulici pariter Hæretici, qui tibi aduſantes, procaciter in eos inuehentur, animum tuum in tranſuerſum rapiant. Sed ſi vir es, facile omnibus ſimul reſiſtes ſola conſtantia, & feruore, zeloque pietatis magis, magiſque pijs hominibus conſeſtata. O, utinam potuiſſem, vel in hoc ſolum meæ in te pietati ſatiſfacere, ut ſi non omnes, ſaltem paucos tibi intimos conſiliarios, & cubicularios Catholicos, & pios dare potuiſſem; tibi ornamento, mihi ſecuritati fuiſſent. Sed ea ibi eſt temporis, & morum peruerſitas, ut omnes declinauerint, varijsque hæreſibus imbuti Atheiſmum plerique ſpirent. Quò difficilior igitur tibi reſtat concertatio, eo maius tibi præmium, & laus ſempiterna. *Ita Ibidem num. 41. ſic Stephanus Rex deceſſit Grodne propagandi, augendique diuini cultus auidus: piè ac Religioſè deceſſit, toto Chriſtiano Orbe ingemiſcente, dolente Societate tanto orata Parente.*

AB EODEM: quem Epicoſopus Præmiſſienſis, ait, audiuiſſe ſe in Conclauſi Regio, eum palam, & aperte dixiſſe, Fore, ut, quandiu ſtabunt homines, in ſua Societas integritate perſiſtat, quod cum pietate doctrinam prouide admodum atque admirabili temperamento coniunxerit. *Ingens ſane, nec dubia nixum ratione teſtimonium prudentiſſimi Regis: quod reſertur apud Imag. I. ſec. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 669. Et quantam ille opinionem de Societatis uirtute conceperit, clariuſ nemo quam ipſemet Stephanus Rex Diplomate ſuo Regio declarauit. Ab eo, inquit, tempore, quo ad hunc Regni noſtri thronum diuina prouidentia euecti ſumus, nihil nobis antiquiuſ fuit, quàm ut antiqua pietas (quæ*

*Collegia  
Transylua-  
nia Sigif-  
mundo  
Principi  
fratris filio  
teſtamento  
commen-  
dat.*

*Societas  
admirabil  
tempera-  
mento cum  
pietate do-  
ctrinam  
coniungit.*

est omnium Regnorum solidissimum firmamentum) in omnes Prouincias nostras restitueretur, atque in alias quoque prorogaretur. Neque vero quidquam fructuosius experti sumus, quàm si multos Operarios nancisci possemus ex Societate IESV, qui tanquam expediti velites quoquouersum ad lucrandas animas excurrerent. *Sic Ibidem. Ex Gredfero in Apol. contra monita priuata lib. 1. cap. 11.*

*Eius filij, vt expediti velites ad lucrandas animas vndique excurrunt.*

*Aucta beneficijs à Sigismundo.*

15. A SIGISMUNDO II. *Qui se alieniorem ante ab Societate visus erat ferre: sed postea non consensit modo Polocensi Episcopo Collegium deducere Pultouiam meditati, sed ipsemet Diploma edidit regium, quo cunctis beneficijs, quibus in Poloniae Regno ceteri Religiosorum fruebantur Ordines, Societatem imperiebatur. Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 1. num. 7.*

*Fructuosa Poloniae, & vniuerso Orbi.*

16. A SIGISMUNDO III. *Ad Turonenses sic scribente: Societatis homines non modo Poloniae Regioni, sed vniuerso etiam Orbi fructuosos, se auctore, ac Regni Proceribus studiosè complecterentur, sua munia cum summa pace obire finerent, omninoque persuasum haberent, illorum se iniurias seuerè vti suas vlturum esse. Sic in Annal. Soc. ann. 1612.*

*Auscepta sub eius Regis patrocinio.*

*fol. 494. \* Nec minus honorifice ab eodem Rege in Regni Comitibus pronunciatum legimus, se suo, & successorum suorum nomine, recipere in suo Regno Societatem sub suo patrocinio, & iuamine. Ita apud Euseb. in vita B. Borgiae lib. 3. cap. 12. fol. mibi*

*Eius Collegia mediū vnicum ad rem Catholicam promouendam, & contra haeresim.*

*223. \* Et in condendis Nostrorum Collegijs, atque Scholis idem Rex piētissimus testatus id est frequenter, Hoc vnicum esse medium rem Catholicam in Polonia promouendi, & corruptas haeresi mentes ad sanitatem reuocandi. Sic refertur apud Imag. v. sac. Soc. lib. 3. cap. 4. fol. 345.*

# A R E G I B V S I A P O N I Æ.

17. **A** FRANCISCO Rege Bungi ad Bonciorum quemdam petentem, *ut ipse Nostros à Regni sui finibus amandaret, sic scribente.* Annus (inquit) circiter quartus decimus agitur, cum id hominum genus magno utique meo bono delatum est in hæc loca. Tribus ante præeram Regnis, nunc quinque possideo: pecuniæ ante laborabam inopia, nunc Iaponiæ Reges omnes diuitijs supero: vnde ad populares quoque meos utilitas pertinet: cum antea filium suscepissem nullum, iam virili stirpe magna mea voluptate auctus sum. Denique omnia mihi ex eorum hospitio prospera accidere. Commemorate vos, si potestis, Religionis vestræ defensio, ecquid unquam mihi crearit commoditatis: proinde caute in posterum hunc ad me sermonem. *Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 8. num. 188.*

*Societas  
quam viri-  
lis Regno  
Iaponiæ.*

**A**B EODEM Literis ad Pontificem Gregor. XIII. per Mancium Legatum è Regio sanguine iuuenem sacros pedes deosculante. Dominus (inquit) cæli, terræque, cuius imperium super Solem, Lunam, & Stellas ignorant mihi, & profundis immerso tenebris, claritatis suæ lumen iussit splendescere, ac Nostatibus præcipuè populis referans arcam suæ misericordiæ, atque gemmarum, dignatus est ante annos amplius quatuor & triginta destinare ad Iaponis Regna Patres è Societate IESU, quorum è salutari ac diuina semente, nonnihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus. Quod tam insigne beneficium, aliaque multa, ô Sanctissime, totius Christiani populi Parens, vestræ potissimum precatiōni, meritisque accepta equidem refero, &c. *Ita refertur apud Petrum Matthæum in Summa Constit. Rom. Pontif. fol. mihi 843.*

*In quod  
Christi si-  
dem intu-  
lit.*

Defendi-  
tur à Bun-  
genſi Rege.

AB EODEM: *Qui tanquam arx firmiſſima alte fundata in pe-  
tra, nihil nec ventorum impetu, neque imbrium tempeſtate commo-  
uebatur: qui tametſi Regni gubernacula dudum poſuerat, grauiſſi-  
mas tamen literas ad totius Regni proceres dedit, vetans quicquam  
moliri aduerſus Patres Societatis: Se enim eſſe Chriſtiani-  
num, & in ea Religione moriturum: nec prius quidpiam  
aduerſus eos, quam contra ſe tentaturos. Ita Par. 4. Hiſt. Soc.  
lib. 7. num. 337.*

Commen-  
datur Pon-  
tifici ab  
Ariminen-  
ſi.

18. A PROTASIO *Arimenſi Rege literis ad eundem Ponti-  
ficem Greg. XIII. per Michaelem Legatum egregia indole, prouiden-  
tia, & probitate iuuenem. Denique (ait inter alia) in profundo  
Gentilium tenebrarum iacenti mihi dignatus eſt Pater miſe-  
ricordiarum, lucem veritatis, & rectum ad ſalutem iter oſten-  
dere per Venerabilem Viſitorem, alioſque verbi Dei Præ-  
dicatores è Societate IESV, qui enixè me, meoſque diuinæ  
gratiæ rorem è Cælo deuocarunt. Pro quo tali, ac tanto be-  
neficio mire latus infinitas Regi cælorum ago gratias, &c.  
Ita apud Petrum Matthæum citat. in Summa Conſtit. Rom. Pontif.  
fol. 844.*

Et ab Omni-  
zano.

19. A BARTHOLOMÆO *Omuranorum Rege ad eundem  
Pontificem per Legatum eundem ſic ſcribente: Nuper in hæc tam  
remota loca luſtranda P. Viſitator è Societate IESV conten-  
dit, multiſque rebus pie, laudabiliter inſtitutis, iam nunc  
redit in patriam, quâ Ego tam præclara occasione inuitatus  
deeſſe nolui, quin fratris mei filium D. Michaelem cum eo  
mitterem iſthuc, qui licet muneri tanto ſit impar, tamen  
gratiſſimum fuerit mihi, ſi eum veſtra Sanctitas, ad beato-  
rum pedum oſcula admiferit, &c. Sic Ibidem fol. 844.*

Hiſus mori-  
turi oratio  
ad filios.

AB EODEM: *Qui ubi ſe morti iam proximum ſenſit, Sancium  
Primogenitum, cum ceteris liberis, hiſ ſupremis verbis inter alia  
multa, aſſatus eſt; Quartus & viceſimus hic annus agitur, ex  
quo à P. Coſma Turriano Chriſti fidem, & baptiſmum ac-  
cepi. Chriſtianum in meis terris nullum reperi cum inirem  
Principatum, nunc in ijs nullum, quod ſciam, Ethnicum  
relin-*

relinquo, &c. Et postquam filijs sorores, ac Matrem commendasset, *Qua illis commendat Societatem,* addidit: Patres Societatis adhibete semper ad omnia consilia vestrarum rerum, eorumque singulis, vt mihi obtemperate. Hæc vltima Patris vestri mandata sunt, &c. Ita refertur Par. 5. *Hist. Soc. Tom. 1. lib. 7. n. 152.*

20. \* AB OMVRANDONO *Omurensi etiam Rege ad Societatis Prouincialem sic scribente:* Ego (inquit) quid Dei lex iubeat ignoro, multum tamen desidero Patres Societatis in hac parte cautos procedere, ex illis siquidem bonum, & conseruatio totius Iaponiæ pendet: ne magis Xogum irriteretur, crescat persecutio, omnesque destruantur. Reliqua in altera scribam. *Ab Ea rotius Iaponica bonum, & conseruatio pendet.* Ita in *Hist. Persecut. Iapon per P. Moreson cap. 16. §. 2.*

21. A CANGOXIMANO *Regulo literis ad Prouincialem Societatis, quibus aliquem ex eadem Societate verbis sequentibus admodumque honorificis ille ex postulat.* Duo (inquit) socij venerunt meum in Regnum, atque vt eorum animus excelsus est, ipsique potentes sermone, ac doctrina. Ego eos quasi cæli tonitrua reor. Illud autem in ijs prorsus admiror, quod huc tam è longinquo veniant, quia prout accepi de nauigationibus Lusitanorum ad has oras, ipsamet luna sunt; ita circum-eunt mundum. Antequam hic essent Christiani, erat hæc regio casta bonitate, omniaque torrida æstu, nunc autem videntur ipsi flabellum, quod refrigeret hominum corda. Hoc Regnum tametsi pusillum est, debent tamen Patres Nangan-gini alacriter venire ad illud. Quod si forte alijs in Regnis inueniunt mare decrefcens, hoc in Regno semper est plenum. Christiani quoad Patrum aliquo potiantur, consolantur se Cruce, quam erexere, tanquam si illi adessent. Ego existimo, quod Regnum hoc meum careat Patribus perinde esse atque Cælum obductum nubibus, vel sol defectionem patiens, & lumine spoliatus. *Eius filij potentes sermone, & doctrina: calique tonitrua.* Ita *Par. 2. Hist. Soc. l. 6. n. 183.* *Flabellum refrigerans hominum corda.* *Ijs Orientem carere, est Solis lumine spoliari.*

22. A IOANNE VTAYO *Bungensi Rege, qui non minoris faciebat Societatem, quando sociorum in terras suas aduentui*



acceptam, referre se prosperitatem, ac propagationem Regni, & thori sui adhuc sterilis, *fidenter, & saepe professus est. Ita in Imag. 1. sec. Soc. l. 5. c. 9. f. 658.*

23. A SEBASTIANO Bungenſi etiam Rege Sebastiani Bungenſis Regis filio: qui Capralem nostrum morti se ac suos paratos offerentem benignissimis brachijs excepit, & inter multa hisce verbis amore, ac honore plenis dicendi clausulam conclusit. In summa bono este animo: Nam si quæ in alienis Prouincijs contra vestros fiunt iniuriæ, pro meis duco. Vos, quos complexos sinu teneo, profecto nemo priusquam me lædet. *Sic Par. 4. Hist. Soc. lib. 5. n. 240.*

Eorum iniurias proprias ducebat Sebastianus Rex.

## A R E G I B V S S I N A R V M.

24. A REGE Potentissimo, qui (vt nouissimis ex Oriente literis præscribitur) religiosissimis iuxta ac sapientissimis Nostrorum hominum moribus delectabatur; & ita apud animum suum statuerat de ijs, vt regendis eos sui vice Regnis, Prouincijsque vastissimis admouendos esse decerneret. Quam quidem principem inter Sinenses Procereſ dignitatem cum intellexit à nobis modestè reiici, versa in maiorem tantæ virtutis admirationem veneratione, socios plus etiam quam ante sibi commendatos, & charos fundo extruendis in Vrbe Regia Sacris ac religiosis adibus imperitiuit. *Ita apud Imag. 1. sec. Soc. l. 2. c. 6. f. 223.*

His adde, quæ scribit P. Nicolaus Trigausius de Christiana expeditione apud Sinas l. 6. c. 13. fol. mibi 405. Noſtri à rituum Magistratibus comprehensi in arcem legatorum retruſi erant: quod vt Regi constitit, dixisse fertur: Quorū hos homines oportuit comprehendere, an fortassis latrones habentur? Eximius hic fauor Regis erga socios fuit: & pro singulari gratia ab omnibus habitus. Cui Regis alia beneuolentia singularis accessit: quæ sic à citato Trigausio cap. 14.

Regis fauor erga socios.

cap. 14. fo. 419. his verbis refertur. Horaria machina aliquantum aberrauerat, forte in Eunuchis non satis erat ingenij, aut etiam animi ad eam moderandam: ergo de voluntate Regis illam in domum ad reparandum detulerunt; biduo igitur, triduoque, ubi hoc innotuit, magni ad nos facti concursus, id forte Rex rescivit, & in posterum illam machinam efferrī vetuit, sed cum opus esset, nostros in Palatium venire voluit; quae res magnam benevolentiae Regis erga nostros conceptae opinionem apud omnes concitauit.

Et benevolentia singularis

# A R E G I B V S

## Æ T H I O P I Æ.

25. \* **A** SELTAN-SEGVED Summo Imperatore tanti Societatem faciente, ut sponderet, se post Deum illi famulaturum: qui etiam non verebatur Nostros appellare Magistros, ac Patres. Ita refertur in Relat. rerum Æthiop. lib. 2. cap. 13.
26. \* **A** MALA-SEGVED. Qui publicè testabatur, se Societatis Patribus Dei seruis faurum, quia nullus præ illis suum fauorem merebatur. Sic L. 1. Hist. Orient. c. 10. per Franciscum Suarez scripta.
27. **A** ZALADINO MAHEMETE Magni Mogoris literis ad Societatis Prouincialem Goæ commorantem, quibus Nostrorum expeditionem ad Mogores Æthiopiæ Incolas, expetebat; & earum verba hæc erant: Ad Patrem præcipuum in nomine Domini literæ Zaladini Mahemetis Echebarisæ Regis manu Dei constituti. Patres Collegij Sancti Pauli primores, scitote me vobis valde amicum esse. Mitto isthuc Ebadolam legatum meum, & Dominicum Perium (hic erat Christianus Interpres) petitum vt ad me duos Patres doctos mittatis, librosque legis, & nominatim Euangelium, & legem, eiusque perfectionem

Societas quantum ab Æthiopicis Regibus aestimata?

Expetita literis à Mogorenfi.

nem cognoscam : auet enim mihi cor eam nosse. Oro igitur omnino veniant cum iisdem Legatis , & libros legis adferant , sciantque Patres qui venerint , me eos excepturum quàm honestissime , & gratissimos habiturum. Postea vero quam Ego satis legem , eiusque perfectionem cognouero , licebit ijs suo arbitratu abire , à meque comiteatu , & præmijs peramplis honorabuntur : veniant securi , Ego eorum defensionem in me recipio. *Hactenus Regis literæ Orientalium maximi Par. 4. Hist. Soc. lib. 7. num. 312.*

Et suis  
Magistra-  
tibus ab  
Eodem  
commen-  
data.

\* AB EODEM *Ad Officiales sui Regni similiter scribente :* Præcipio (*inquit*) supradictis meis Officialibus , quod tam D. Leonem Grimon , quàm hos Patres , quos voco , honore multo colant , subministrando milites , qui eos securos reddant per totum iter ex vna in alteram Ciuitatem , tribuendo item omnia necessaria meis expensis : obligabunturque eos ad me saluos & incolumes adducere , &c. In Deoque confido eos cum salute peruenturos ad hanc Curiam , in qua tam à me , quàm à meis iuxta sua merita recipientur. *Sic apud Guzman in Hist. Mission. Par. 1. lib. 3. cap. 34.*

Illam præ  
vita &  
Regni pace  
Abassinus  
magis asti-  
mabat.

28. A REGE , *Sive Imperatore Abassinorum , qui oblatas sibi conditiones pacis ab hoste saeuissimo , quem etiam ipse metuebat , abominari maluit , quàm admittere , propterea quod ea Sociorum saluti , & incolumitati iniquæ , & iniuriosæ viderentur , ipso palam acclamante : Imperatoris exercitu bellum præ pace , mortem pro vita expetendam esse potius , quàm vt hostibus dedi paterentur eos , à quibus viam salutis edocti , amarentur vt filij , defenderentur vt clientes. Ita apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 5. cap. 9. fol. 659. fin.*

Quantum  
amata ab  
huius Im-  
peratoris  
fratre

29. A ZELACHRISTO *Abassinorum Imperatoris fratre (quem , quia fortè in Regni habenas successit , in hac Classe describo) Is igitur ante annum à Societatis nostræ confirmatione Centesimum , eius tum gesta rei memoriam die 27. Septembris aliquando re-*  
currenti-

currentem anno 1624. apparatus quam exquisitissimo celebravit. Inter quæ ipse abiecto, quo utebatur habitu, principali, nigram indutus togam ex more Societatis produit in publicum, nunquam alias magis ambita non sibi, sed Socijs gloria candidatus, nimirum non Proregem se (talis ille tunc erat) quoties cum illis ageret, sed filium haud verbo magis, quàm opere testabatur, affirmans, Tot ornatos virtutibus, non posse non summi fieri ab ijs, quorum animos probitatis species, non umbra, vel invidia occuparet. Sic Ibid. fol. 659. cit.



Tt

CLAS-

- Societas spiritualis militia per orbem Crucis vexillum deportans. Scriptis hæresi resistit.*
1. **A** REGNO HISPANICO *In Comitibus Generalibus, literis super Beatificatione S. Ignatii P. N. missis ad Clementem VIII. quibus affirmabat, Societatem IESV, Militiam esse spiritualem à B. Ignatio erectam, quæ tam breui temporis intervallo, tanto cum spiritu, & robore vexillum Crucis ad ultimos terrarum angulos deportavit: quæ face Euangelij tot infidelium corda illuminavit, quæ scriptis hæresi resistit, & sanguine effuso defensat sanctæ Apostolicæ Cathedræ auctoritatem, &c. Hæc apud Paul. Leonard. in Apolog. pro scientia Media Par. 2. n. 83. fin. ex ijs, quæ habentur in Relatione Hispanico idiomate conscripta à P. Petro de Ribadeneira de Beatif. Eiusdem S. Fundatoris Ignatii, & excusa Matrini apud Ludovicum Sanchez anno 1609.*
- Et Pontificis auctoritatem effuso sanguine defensat.*
2. **A** REGNO GALLICO *In Comitibus etiam Generalibus tam Cleri, quàm Nobilitatis Parisijs anno 1615. pro Societate postulantium illa voces: Ingentes fructus, & singularia officia, quæ Patres Societatis IESV tum in Religione Christiana propaganda, tum iuventute bonis moribus, & scientijs informanda, &c. olim præstiterunt, & nunc etiam præstant in Ecclesia Catholica, & nominatim in hoc Regno, nos omnes adducunt, &c. Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 10. fol 669.*
- Eius ingentes fructus. In Christiana Religione propaganda, & iuventute informanda.*
3. **A** REPVB. VENETA. *Exoptavit iam pridem Societas Vniuersa, ut vnde egressi fueramus, liceret nobis reuerti in ditionem Venetam, tum ad elidendum, quod inde patiebatur ab Hæreticis maxime, & obtrebatoribus opprobrium, tum ad colendam laboribus nostris Vineam illam primorum nostrorum Parentum Sudoribus in exordio Societatis irrigatam. Quod igitur iam à quinquaginta annis in*
- notis*

votis fuit, tentaruntque alij iam Reges, & Pontifices (sed frustra) obtinere placuit nunc diuinæ providentiæ auspicijs, ductu, atque opera Sanctissimi Domini Nostri Alexandri VII. felicissimè perficere, i. que absque vlla conditione graui nobis, & vna cum restitutione bonorum mobilium quæ olim ibi possidebamus; & denique, quod vulgus vix credit, sine teruntio contributionis pecuniariæ ex parte Societatis, vt verissime nobis dicere liceat: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc facti series, de qua iussu, & nomine Serenissimæ Reipublicæ Excellentiss. Dominus Dominicus Ziani Ordinarius in Matritensi Curia Nuncius, Patres Imperialis nostri Collegij certiores fecit, additque Serenissimam illam Rempublicam 26. Ianuarij Decretum formasse (retroactis in contrarium reuocatis) in quo periucundè Sacræ nostræ Religionis reuerfionem in totum suum Venetum Dominium præcipiebat. Hæc Nuncius tam Serenissimæ Reipub. nomine. Ita in Relat. P. Hyacinthi Perez Proc. Ind. typus edita Hispal. ann. 1658. fol. 4.

4. A REP. EPIDAVRENSI, Sive RAGVSANA: Quæ Bobadilla nostri non multis Concionibus auditis, & cetera iuandi proximos ratione, ac dexteritate perspecta, Collegium Societatis instituere Communi Consilio decreuit: eaque de re ad Lainium Generalem Literas dedit: In ijs literis ait, Iam diu sibi fuisse in votis Collegium instituere Sacerdotum eiusmodi, ex quibus & ceteri sacri Viri exempla, & populares præcepta Christianè viuendi caperent. Habere enim persuasum oportere in Epidaurensi Reipublica Christianam sanctitatem florere vel maximè: vt quoniam adeo vicinos habet Christi hostes, & aduersus eorum corruptelas tuta sit, & vero etiam innocentia morum arguat, ac pudore suffundat. Quales optabat Sacerdotes, dudum se fando audisse, modo ex Bobadillæ vita, actionibusque vidisse, Sacerdotes esse Societatis IESV. Quare aliquot sibi horum concederet, tres nimitum operi inchoando, &c. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 4. num. 53.

Ab Epidaurensi ad morum reformationem expedita. Literis ad Lain.

## CLASSIS IV.

## A PRINCIPIBVS.

ET

## ARCHIDVCIBVS.

1. **A** FERDINANDO PRINCIPLE Cardinali, verè Catholico, Hispano, Austriaco, ac belli Fulmine, ex cuius voluntate agrotantium cura omnis in castris penes solam Societatem fuit, qui præclaro exemplo apothecam suam patere voluit in usum militis, & multo argento subuenit miserorum egestati, tanta sollicitudine pietatis, ut mitteret indies Emmanuelem Guzmanum eleemosynarum prefectum, qui seiscitaretur ex Patribus, satisne ad agrum militem iuandum esset aris: ac, si non esset, continuo numeraret. Valuit Principis exemplum ad imitationem. Magnatum multæ, & Tribunorum diem sibi quisque sumebant in exercitium liberalitatis. Non raro fuit, cum Patrum humeris efferrentur funera, Patrum manibus terra mandarentur. Subinde viginti amplius cadauera pariter in tumulum illata. Delectauit omnes quidem, sed vel maxime Principem, ea Societatis Charitas. Sape illam auditus magnificis commendare verbis, ac dicere, numquam sibi Patres istiusmodi vilos. Sed neque is tum morbus magnis Caputibus pepercit. Periere Dux Lermensis, Campi Magister Generalis; Grimberganus Comes, Principis Oeconomus; & dignus immortalitate Marchio Aytoua, supremus armorum Gubernator: inter ipsas Patrum manus mortui omnes. Hac prima Castra sub Ferdinando Principe fuerunt. Ita apud Imag. t. sec. Soc. lib. 6. fol. 815.

Admirabilis in agrotantium militum cura.

Et in Missione Castrensi.

AB EODEM Cuius de nobis, Missioneq; Castrensi testimonium, an preconium, iam Orbis audiuit. Quin etiam grates (quod vix dici modestia nostra sinit) grates, inquam, de præstita in Castris opera dig-

221128

vatus agere coram Nobilitate, coram Tribunis & milite, quantum Patribus tribuit honoris, tantum & stimuli ad difficultates exhauriendas, ad superanda pericula, ad mortem ipsam, si ex Regis Catholici, ex Religionis usu erit, oppetendam addidit Societatis amantiſſimus Princeps. Sic Ibid. fol. 817. Cuius in eandem Societ. beneuolentiam magna testimonia partim expressa literis ad fratrem Philippum Regem datis manifestant; quæ non ignota habent Belgæ. Ibidem fol. 888.

2. A LEOPOLDO Austriaco Archiduce, qui nostris lætus incrementis, ad Albertum Principem literas dedit, quarum aliqua pars hæc erat. Magnam animo voluptatem capio, cum ex optimis viris intelligo, tantum in dies iuuenturis, & ingeniorum delectum ad Christi signa sub huius Societatis auspicijs in Belgio vestro conuolare, vt vna Tirocinij domus tot Sacræ militiæ contubernalibus minime sufficiat. Deinde Societatem obnixè commendans, inter causas hanc quoque ponit, Quod cuique fit exploratissimum, sicubi dicta Societas toto Orbe Christiano liberam suam munia obeundi facultatem adepta est, ibidem semper Apostolicam fidem miris accessionibus amplificatam fuisse; contra vero, eos qui eandem aut occultis cuniculis subruere, aut aperto Marte suis finibus exturbare sunt conati, incomparabili rerum suarum, ac præsertim Orthodoxæ fidei dispendio, temeritatis suæ pænas luiffe. Hæc & plura Leopoldus ubi supra fol. 888.

In iuuentutis educatione.

Et fide Catholica amplificanda.

3. AB ALBERTO PRINCIPLE, cui hæc à Leopoldo scripta tantopere probabantur, vt tale ille de nobis responsum daret. Sane, inquit, certum est, Societatem illam Ecclesiæ Dei, & nostræ Religionis verè Catholicæ, non laboribus, non vitæ parcendo, prodesse quamplurimum, & eandem quaquauerſum toto terrarum Orbe propagare, & restaurare. Quapropter æquum est, vt eiusdem Societatis obsequia agnoscant omnes Principes, & populi Catholici. Nos quidem hactenus ea de causa Societatem hanc singulariter commendatam habuimus, & in posterum, quidquid ad eius tutelam, & incrementa pote-

Pro qua restauranda, nec vita, nec laboribus parcat.

Ideo ab omnibus Principibus, & Catholicis æstimanda.



rimus, libenter impendemus: nec Officio nostro pro viribus vniquam deerimus, dabimusque operam sedulo, ut eadem Societas celsitudinis vestrae tam amicae & fidae commendatione, quandocumque sese obtulerit occasio, perfruatur. Hæc Albertus, qui nec magnificentius promisit patrocinium suum, quam præstitit. Ut enim Collegiorum pleraque taceamus, de Ruremundano certè suscepta singulari curâ, ad Hermanum Comitem Bergensem Geldriae Prouinciæ Præfectum ita scripsit aliquando. Negotium, inquit, illud mihi admodum cordi est, ob fructum eximium, qui inde diuina opitulante gratia exspectatur, sigillatim ob bonam iuuentutis institutionem hocce tempore tot hæresibus deprauato: quem fructum non solum Ruremundana mea, sed & omnes aliæ ciuitates vicinæ, & in primis Venlona, utpote proxima, maximeque populosa participabit. Hucusque tantus Princeps. Ibid. fol. 888.

Eximij  
fructus ex  
eius Colle-  
gij.

Archid.  
Caroli be-  
nignitas in  
socijs exci-  
piendis.

4. A CAROLO Archiduce Austriaco: in Styria Collegium, quod ille diu exoptabat, Græcij constitutum, duodecim initio incoluere: Princeps postmodum quam aduenerant ad se socios aduocat, porrectaque gentis more dextera, atque omni benignitatis genere excipiens, ac lætitia gestiens, initium in hæc verba loquendi fecit. Potestis, inquit, mihi merito credere, me desiderio desiderasse hunc aduentum vestrum. Postque multa, quibus de ea re sibi ipsi gratulatus est, addidit: Principio quidem non deerunt vobis difficultates, siquidem eritis veluti oues inter lupos: sed persuadeatis vobis, me fore vobis patronum, & Patrem, & omnia. Ingentis animi amor, & benevolentia hæc est. Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 1. n. 73.

Societati  
benefacere,  
est de Rep.  
benemereri.

Eius Colle-  
gia vrbium  
præsidia.

5. A PRINCIPIBUS Anonimis etiam Austriacis: quorum fauor, ac benevolentia in Societatem eò excreuit, ut nisi magnitudinis pietatisque sue rationem habuissent, modum excessisse videri possit. Igitur in eam opinionem venerant inclyti & rei Catholicae, ac Societatis studiosissimi Principes, ut cum nobis benefacerent, crederent, se de Republica bene mereri. Collegia pro Vrbium præsidij habebant: neque tutiorem armis quam nostra vigi-  
lantia

lantia Religionem, existimabant. Sic in Imag. 1. sec. Soc. lib. 2. cap. 4. fol. 212.

6. A LVDOVICO Ioannis III. Lusitani Regis fratre, ac Principe serenissimo, qui de capessendo communi cum socijs vita genere, serio cum Borgia, constanterque deliberavit: perfecturus haud dubiè, nisi Ignatius primo, ratus futurum magis è Dei gloria, si talis vir è fratris Regis latere non discederet; tum etiam præpropere mors votis sanctissimis tanti Principis interuenisset. Quod non parum facit ad commendationem Societatis alte impressam animis, & affectibus Lusitanorum Principum. Ita Ibidem lib. 5. cap. 9. fol. 657.

Socijs adnumerari expetit Lusitani Regis frater.

7. A SIGISMUNDO Principe Transyluania qui indolem præferebat, quam fingi votis posset egregiam, ac religionis verè studium supra etatem. Lelesius noster ad eius institutionem videbatur factus diuinitus: adeo & amabatur, & colebatur à puero: sub eius Magisterio, audebat ille (quod necesse erat inter omnia heretica) murum se opponere pro domo Dei. Ita Par. 5. Hist. Soc. to. 1. lib. 4. num. 66. Porro Sigismundus cum etatis accessu ad omnem proficiebat virtutem, qui suum studium erga Societatem, & Catholicam fidem egregijs literis, per quas de supplemento Sociorum missò Patri Generali gratias agit, ostendit: ostenditque magis cum Societas in Transyluania à tanto Principe, & Senatu defenditur contra tumultuantem plebem. Ita Ibidem lib. 7. num. 44. & 46. Et cum Heretici conantur Hereticum Hominem Principi Magistrum obtrudere: illius constantia in eo recusando fuit maxima: totumque certamen suo mox Magistro Lelesio per epistolam declarauit, hac apposita clausula. Iam facile poteris coniecere, qui sumus futuri in religione Catholica defendenda, & propaganda, cum tam fortiter, & constanter (liceat nobis aliquid, mi Pater, de nobis prædicare) restiterimus eorum conatibus. Optime vale. Albæ Iulix 12. Iulij, Sic Ibid. lib. 8. n. 45.

Sub eorum disciplina Sigism. Rakoci Transyluania Princeps educatus.

Eius erga Societatem studium: quam defendit contra tumultuantem plebem.

Constantia Principis Societatis Magistro retinendo.

AB EODEM: Cum Engedini Prouincialis haberetur Conuentus; multis diebus à Calvinianis, & Arianis acriter declamatum, vt tandem religionis causa traheretur, & Societas, vt Idololatriæ Se-

Et in hoc Transyluania conferenda.

mina-

minarium, exturbaretur à Regno Translyuano. Oratio Patrum Societatis ad Principem in Comitibus habita, satis fortis neruosaque contra Hereticorum contumaciam. Satis per se animatus erat ad defendendam & Societatis, & religionis causam Sigismundus, nec parum

*Etiam Regni & vitæ discrimine.*

*Sed tandem decretis Hereticorum de nostro exilio inuitus subscribit.*

*A Societate in omni virtute ac literis se educatum fatetur.*

*Viaticum Patribus exultantibus dat.*

*Et perhonorificum de eorum virtute ac innocentia testimonium.*

animi illa oratione accessit: Iurasse dicitur, Se cum Societate pariter, vel occasurum, vel discessurum. Et ad Prouincialem Campanum scripsit, se Patres, ac Religionem, vel cum Regni, & vitæ suæ iactura tegere conaturum. Sic Ibidem lib. 8. num. 49. Sed tandem Hereticorum astutijs decernitur Societati exilium è Translyuania: quorum admotus terror Principem ipsum Sigismundum vel inuitum adegit, ut impio Decreto subscriberet. Non permittitur, ut quisquam sociorum in Translyuania maneat: etiam Lelesius, qui Principem à prima pueritia educarat, aeger, & morti proximus summa hieme Alba eicitur. Oratio discedentium Patrum ad Principem doloris, & amoris plena fuit: quibus eiusdem Principis Sigismundi nomine responsum est: Agnoscere eum se ab Societate ad omnem virtutem, & pietatem recte fuisse institutum, & in literis eorumdem opera non mediocres progressus fecisse. Causam eiectionis fuisse Regnicolas, quibus obistere Princeps nequiverit, cum magnam habeant libertatem prout voluntas tulerit, decreta condendi: futurum se perpetuo sui similem; inque fide Catholica permansurum. Dedit abeuntibus in Viaticum bonam pecuniæ summam: deinde adiecit literas, quibus fidem faciebat, dimissos, quod ferre eos religionis causa Nobilitas nequiuisset. Ita Ibidem num. 66. & 67. Integrum tamen de horum Patrum innocentia testimonium inuenies apud P. Gredserum in libro aduersus Melchiorum Guldinastum Calumnianum replicatorem. cap. 2. pag. 19. Quod ne temporis lapsu cinerescat ad futurorum memoriam hic ad literam transcribere opera pretium duxi; & sic se habet.

Nos Sigismundus Rakoci Dei gratia Princeps Translyuaniæ, partium Regni Hungariæ Dominus, & ficularum Comes, &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis; quod cum superioribus diebus Reuerendus Dominus

minus Ioannes Argenta Societatis IESV, antea in Transyl-  
 uania Prouincialis in hoc Regnum Transyluanix eam ob  
 causam venisset, vt à nobis, & subditis nostris in dicto Regno  
 nostro Transyluanix, & partibus Hungariæ ditioni nostræ  
 subiectis impetraret, in propria residentia suæ loca olim à D.  
 Stephano Rege Poloniæ Magno Duce Lituaniæ ac Principe  
 tunc memorati Regni Transyluanix fundata, simul cum re-  
 liquibus Patribus, ac Magistris eiusdem Ordinis regredi lice-  
 ret, eam rem in Comitij Regni Claudiopoli ad decimum  
 diem mensis Iunij præsentis anno celebratis, diu multisque  
 agitatam numero, & multitudine Catholici ab aduersarijs  
 eorum superati consequi non potuerunt. Vnde Nos præsen-  
 tibus nostris testificamur, eosdem Patres Societatis IESV, vt  
 bonos, & morum integritate graues viros ex suis Collegijs,  
 bonisque non ob vllum delictum, aut notæ alicuius vitium,  
 verum ad instantiam Romanæ & Catholicæ fidei contra-  
 riam opinionem sequentium esse deturbatos, exclusos, & in  
 alia loca demigrasse coactos: prout testificamur harum no-  
 strarum vigore, & testimonio literarum mediante. Datum in  
 Ciuitate nostra Coluscuar die 26. mensis Iunij, anno Domi-  
 ni 1607. *Hucusque Principis Rakocij de virtute, ac innocentia Pa-  
 trum Iesuitarum è Transyluania, Hereticorum astutijs, exulan-  
 tium, celebre, ac perhonorificum testimonium.*

## CLASSIS V.

## A DVCIBVS, MARCHIONIB.

E T

## COMITIBVS.

*Litera Ba-  
uaria. Du-  
cis in So-  
cietatis  
commenda-  
tionem.*

1. **A**B ALBERTO Duce Bauaro literis ad Generalem Lainium de Monachienſium Sociorum feruore, quem ſummo Princeps cum animi ſui gaudio cernens, ad plures alendos ſubſidium à prædiſto noſtro Generali precatur his verbis in ſummam illorum, Societatiſque commendationem. Ex literis (inquit) quas de mittendis ad nos è Societate veſtra viris anno ad te proximo dedimus, ſatis, vt remur, conſtat quid de vniuerſâ Inſtituti veſtri ratione nobis perſuaſum ſit; quantum inde labenti Chriſtianæ rei commo- di polliceamur. Nec ſane nos ſpes iſta feſellit vnquam. Illi enim ipſi de Societate veſtra, quos nuper ad nos miſiſti, ita ſe primo ſtatim aditu compoſuerunt, vt & vitæ ſanctimonia, & in docendo mira felicique alacritate ceteros ſuos fratres Collegij Ingolſtadienſis laudabili quadam & Eccleſiæ Ca- tholicæ vtiliſſima æmulatione velle viderentur vincere: & nunc iactis feliciter fundamentis publicis concionibus, & & priuatis exhortationibus rem fortius tentant. Quæſatos Vineæ Domini muros ita ſine intermiſſione reſciunt, vt non modo furioſus ille aper, egregiè ab uuis arceatur, ſed vineam ipſam ſeminibus noxijs, & ſentibus perpurgatam ſpes ſit puriorem conſeruari haud difficulter poſſe. Ex his veſtris Seminarijs primitiæ Eccleſiæ faciem iam iam contueri in- credibili gaudio geſtimus. Quis enim niſi ſit ipſe quoque communi, qui totum pene Chriſtianum per Orbem graſ- ſatur, morbo infectus non lætetur ex animo inſanam Hære- ticorum

*Cuius filij  
quæſatos  
vineæ Do-  
mini muros  
reſciunt.*

*Et semina-  
rijs primi-  
tiæ Eccle-  
ſiæ faciem  
reſtaurant.*

ticorum pertinaciam summa eruditione, innocentiaque vitæ Tuorum tandem infringi? Vere igitur ac merito Tibi gratulamur talium filiorum Parenti, in quibus reuiuiscens Religionis, extirpandarumque Hæresum vna firmissima spes consistit. Ceterum in hac nostra lætitia vnum est, quo vehementer commouemur. Cum enim verè credentium, qui in dies magis, ac magis augetur numerus, id efficiat, vt præter quotidianos in schola docendi labores plurimum sit in Templis quoque concionando, faciendo, impertiendoque diuina sacra, & infinitas piorum confessiones audiendo, parumque confirmatos fideliter edocendo desudandum, valde veremur, ne pauci isti Tui Operarij tanto oneri diu ferendo non sint. Rogamus igitur clementi studio, quemadmodum etiam Superioribus nostris literis ad Te contendimus, vt occupatissimorum, & ipso sub pondere collabentium filiorum misertus, plures in hanc copiosissimam messem emittas, qui cum illis, qui iam hic sunt, integrum Collegium constituant, cui nos quidquid erit necesse ita suppeditabimus, vt & nostrum in Venerabilem istam Societatem Vestram amorem plane iterum testemur, & sacrosancta Catholica Religio domicilium apud nos perpetuum habere possit. Viaticum etiam ad Canisij arbitrium præsto erit. *Hæc optimus Princeps, in Par. 2. Hist. Societat. lib. 4. num. 123.*

2. A LOTHARINGO Duce ad Musipontani Collegij Rectorem scribente. Ego (inquit) Barrum (vrbis est Ducatus Barrensis caput) ea vel præcipua vel sola mente festino, vt Collegium, quod ibi tenetur à sæcularibus Præceptoribus, vestris tradendum curem: quo enim alio remedio fidem in illis locis partim inclinantem, partim iam collapsam in integrum restituendam non video. *Sic Princeps Serenissimus in Annal. Societ. anno 1607. fol. 504. Et Ibidem eidem Rectori attestatur; Quod Religio Christiana stare in Lotharingia, id secundum Deum Societatis operis, ac laboribus se referre acceptum. Ita ille in Annal. Soc. ann. 1607. fol. 502.*

*Hæreticorum pertinaciam summa eruditione ac innocentia vite infringunt.*

*In eis reuiuiscens religionis, & extirpandarum hæresum spes consistit.*

*Varia eorum ministeria.*

*Qui fidem, vel inclinantem, vel collapsam in integrum restituant.*

Sabaudia  
Ducis in  
Societatem  
beneuolen-  
tia.

3. A CAROLO EMANVELE Sabaudia Duce Serenissimo, qui scripto testatum reliquit, ut omnibus de summa sua erga Societatem beneuolentia constaret, Tota sua Ditione velle omnium Nostrum capiti æquè ac suo cautum esse. Hæc tantus Princeps in Annalibus Societatis anno 1612. fol. 139. in quibus non maiorem de Ea existimationem euulgare potuit.

Pauor infi-  
gnis Baua-  
ria Ducis  
in Socie-  
tatem.

4. A GVILIELMO Bauariæ Duce, qui cum vidisset mærorem, & metum Societatis ex immutato Sixti Pontificis animo erga illam, ita hac de causa laborauit, ac si de toto eius ageretur Dominatu: literas ad Pontificem sua manu has dedit, fauore insigni plenæ in Societatem. Beatissime Pater. Præclara venerandæ Societa-

Litera ad  
Pontificem  
eius ma-  
nu scripta.

tis IESV in Catholicam Religionem merita, eiusque in his Germaniæ partibus, vel restituendæ, vel conseruandæ labores, ac studia nouis quotidie occasionibus, felicibusque successibus sic à Deo benedicuntur, ut non raro diuinam Prouidentiam in illis ego quidem suspiciam, ac deprædicem, qua calamitosis hisce temporibus Ecclesiæ à Deo missi, strenuos in illa, summeque necessarios se operarios exhibent: mihi vero, terris ac populis meis, quibus hisce Patribus, illorumque laboribus frui contigit, plurimum gratuler, nihil magis exoptans, quàm vt Institutum adeo salutare faciem illam constanter retineat, qua non parum Christi sponsa Ecclesia hæctenus recreata, nouoque fœtù multiplicata fuit. Quod propter Apostolicæ Sedis robur, quo hæc Societas, & Religio firmata est, felicemque eius Institutum cursum semper mihi firmiter persuasi, neque nunc quidem secus vt accidat, diuinam bonitatem permissuram confido. Patrum vero qui in his partibus rei Christianæ dant operam, contrarium quemdam timorem non absque animi mei molestia his ipsis diebus ex ipsismet didici, cum de nescio qua innouatione in eorum Instituto forte faciendæ dolentes mihi significarent, atque ad eam nouitatem induendæ Sanctitatem Vestram à quibusdam non parum incitari. Quoniam verò Sedis Apostolicæ auctoritate, & defensione, vel vnica eorum Societas in pri-

In quibus  
Societatem  
laudat, ac  
filios.

Et instituti  
rationem  
defendit.

maua

maua sua integritate, puritateque haectenus perstiterit: & contra quoscumque eam impugnantes, vel in dubium ipsum Institutum vocantes se tutata sit, quo animo iam esse; quidve sibi polliceri debeat, cum Sanctitatem Vestram Institutum aggredi, & mutationem in eo facere velle intelligant. Ego vero Beatissime Pater, non tam Patrum istorum nomine, quibus tam propter fidelem, quam mihi, populisque subiectis nauant operam plurimum debeo; quam propter religionem ipsam Catholicam illis in his partibus potissimum innitentem, pro mea erga Sedem Apostolicam obseruantia; & tranquillitate Ecclesiae status, zelo, ac desiderio, non possum non Sanctitati Vestrae debita cum reuerentia, animique submissione aperire qualemcumque huius Ordinis Societatis hoc tempore perturbationem, absque euidenti religionis Catholicae in his partibus detrimento accidere non posse. Quae ex eorum Instituti immutatione, vel innouatione non tam ipsorum Patrum affirmatione, quam mea quoque sententia, maxima cum sit futura, eam Sanctitas Vestra pro suo erga Christi Ouide amore, ac studio praecauere ut velit, etiam atque etiam submitte rogo. Illud praeterea perpendere, ex Instituti Societatis per Sedem Apostolicam hoc tempore innouatione, vel aliqua mutatione, tum frigidus in Germania nostra Catholicos, tum obstinatos Haereticos, in concepta contra Ordinem Societatis opinione non parum confirmandos fore. Qua Catholici dissolutiores, praesertim Ecclesiastici, virtutum splendorem, & vitae exemplum horum Patrum non ferentes, cum in vita, & moribus eorum nihil carpere, & reprehendere possint: Institutum ipsum, eiusque procedendi rationem in dubium vocare solent, Ordinisque Societatis dilatationem in his partibus impedire ea ratione, vel a se hanc Religionem arcere conantur. Qui tamen facile Sedis Apostolicae auctoritate, qua Religio haec Clericorum Societatis IESV iuxta totam suam rationem sibi propriam, & primo Institutam, & toties postea per summos Pontifices, ut etiam



per Sacrum Concilium Tridentinum approbata fuit, repressi haecenus fuerunt. Hæretici verò nonnulli ab alijs Hæreticis, qui Iesuitas & ipsi vocant fidelissimos, & iuratos Papæ defensores, & Ministros proclamant, & propterea cane, & angue peius oderunt dissentientes: inter alia quæ contra Societatem perperam effundere solent, Iesuitas nec Catholicos quidem, sed nouam quandam sectam esse apud suos pronuntiant. Quantum iam Beatissime Pater, vtrique dispari ratione licet, in perniciosa sua, falsaque opinione confirmabuntur, si intelligant Societatis Institutum in dubium à sanctitate Vestra vocari; quædam in illa innouanda, & immutanda esse. Quam gaudebunt in Sinum suum religionis Catholicæ, huiusque Societatis aduersarij? Cum luctu quidem Societatis, detrimento verò Ecclesiæ, pro qua tam fideliter hi Patres laborant, vitam quoque & sanguinem pro illâ exponentes. Accertè Sanctitas Vestra mihi credat, nihil periculosius Ecclesiæ in his partibus excogitari hoc tempore posse, quam si Patres Societatis in suis functionibus, quas iuxta suum Institutum pro Ecclesiæ bono hic exercent, remitterent, aut propter mutationem in eorum Instituto factam, cum pristino Societatis spiritu, ac feruore illas non obirent. Cum propterea Societas hæc erga Sedem Apostolicam in eius auctoritate apud quoscumque ex peculiari Instituti sui ratione tuenda, & persuadenda fidelissimam se haecenus exhibuerit; vt tum Regna, & populos ad illius obedientiam & subiectionem adduxerit, tum Principes quoque Catholicos ad debitam erga eandem obseruantiam, & ad deuotionem permoerit, nec in hoc genere finem faciat: ac nisi Sedis Apostolicæ per ipsam auctoritate magis, magisque amplificata, crescere se non arbitretur, omnem vicissim ab eadem Sede protectionem mereri videretur, qua non tantum à Sanctitate Vestra ipsum Institutum omnem erga se fauorem, Apostolicamque benignitatem experiatur, verum etiam Sanctitatis Vestræ auctoritate ora ei obloquentium, vel quid noui contra illud à

tot

tot summis Pontificibus confirmatum molientium retundantur. Quare Beatissime Pater submissè iterum rogo hocce Religionis Catholicæ in his partibus fere vnicum præsidium, laudabilem hanc Societatem, ea ratione tueri nobis, vt velit, ne circa eius salutare, totique Ecclesiæ proficuum Institutum vlla ratione perturbari, vel contristari eam sinat: quin potius id suorum Prædecessorum exemplo in sua pristina integritate conferuando, ac tuendo, fructu, & incremento Religionis Catholicæ ex eorum ministerio plurimum se gaudere declaret. Neque enim latebit Sanctitatem Vestram similia contra Societatem ab aliquibus parum bono zelo ductis apud alios summos Pontifices esse tentata aliquando, mutationemque, seu nouitatem in Societatis Instituto valde sollicitatam fuisse. Quæ tamen sanctissimi Pontifices altiore intellectu ponderantes, parum ad Ecclesiæ vtilitatem accommodata intellexerunt, & loco nouitatis petitæ ipsum Institutum, totamque illius rationem, nulla in eo mutatione facta, de nouo confirmarunt, pluribusque priuilegijs ornarunt. Quod item à Sanctitate Vestra pro flagranti ipsius boni communis desiderio mihi pollicebor, & communem tum Religionis huius, tum Principum Catholicorum in his partibus consolationem in hac causa humiliter expectabo. Sanctitati Vestræ me perquam humillimè, omnesque meos commendans. Datae Monachij 29. Martij 1589. Sic ad literam referuntur hæc literæ Part. 5. Hist. Soc. Tom. 1. lib. 9. n. 22.

5. AB OCTAVIO *Parmensi Duce Clarissimo, qui falsis præoccupatus sermonibus aduersus Societatem, acerrimè Collegio Parmæ constituendo semper obstiterat, mirè tandem mutatus, Ioanni Guerra Collegij Mutinensis Reçtori Parmam accersito, aperto capite, valdeque commotus hæc verba locutus.* Tamenli (inquit) doleo Pater, quod morbus Comitum mihi Charissimi causa tibi Parmam veniendi fuerit, tamen aduenisse te summè lætor, quod in salutem animæ meæ, meique huius populi aduentum istum video destinatum à Deo fuisse. Ac priusquam alia dico, ex  
Te,

*Parmensis Ducis miram in Societatem mutationem.*

Te, totaque vestra Societate veniam ex animo precor, quod adhuc ne Parmam Religio vestra veniret, obstiterim, deque ea secus ac debui opinatus sim. Nunc quando per hunc Comitum acerbum casum sapientiæ diuinæ placuit, aperire mihi oculos, vestramque innocentiam facere manifestam, toto vos animo complector, ac veneror; Teque etiam atque etiam rogo, ut me ad Collegium hac in Urbe vestri Ordinis instituendum adiuues. Nam quod ad hanc diem repugnauerim, tantumque huic populo bonum per me interuersum sit, nequaquam petenda solum venia expiari potest, nisi & amore erga vos, & sedula Collegij procuratione, præteriti usuram temporis, quantum fas est, resarcire coner. Ego quidem quoniam prior repuli, repulsa dignus sum: sed vos confido, quid vestra virtute, & professione dignum sit, potius respecturos. *Hæc multaque alia, nudo, ut dixi, capite summa benignitate, atque constantia Princeps clarissimus elocutus ut constat ex eadem 2. Par. Histor. Societat. lib. 8. num. 61.*

*Eius Collegia arcibus munitissimis antelata.*

6. AB ALEXANDRO FARNESIO Parmæ Duce, Gubernatoreque in Belgio, fortissimo, asserente, Se Societatis IESV constitutum in aliqua Urbe Collegium Arci munitionibus validæ, & à milite omnique apparatu bellico instructissimæ anteferre. *Hæc Princeps inclytus ad Philip. II. apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 3. Orat. 5. fol. 432. Rationemque dabat. Religiosi Societatis per Scholas, conciones, & alia ministeria docebunt ciues, eisque instillabunt veram fidem, obedientiam, & amorem, quem debent, non tantum Deo, sed & suo Principi, quem Deus eis præfecit, suumque Vicarium constituit, ut eum quasi talem colant, & ament. Validior autem obedientiæ, & principatus custos est amor, quam timor, qui cum sit violentus diu durare nequit &c. Persuasit hæc ratio Regi, qui consilium Ducis secutus, mandauit ei, ut locis opportunis Collegia Societatis fundaret magno & Belgarum & Regis bono. Ita app. Cornel. in 1. Epist. S. Petr. cap. 2. vers. 13.*

*Et cum in propugnanda Religionis atque Regis causâ triumphale per Belgas signum explicabat Heros inuisibilissimus, in pugnarum suarum,*

rum, & triumphorum fructum, ipsa quoque Societas, illo iubente, veniebat. Ita in cit. Imag. lib. 6. fol. 887. constat, eundem Serenissimum Principem promouisse hanc Regis benevolentiam, hausto à Matre Margarita Austriaca in nos amore, quem eximium, semperque crescentem exercere nunquam destitit. Et præter alia. Id Regi auctor fuit, magnis ut Urbibus imponerentur Patres, testatus, Ad retinendos in Regis fide Belgas Societatis Collegia plusquam Castella valitura. Et Traiecto ad Mosam, & Ipris Flandrorum recuperatis, cum in pœnam arces præsiidiarias imperare posset, eas se, dixit, in Societatis IESV domicilia commutare. Et tandem fol. 897. Tot ille Arces ad Hæreticorum ausus retundendos, quot Sociorum Collegia se numerare gloriabatur. Tanta tanto Duci erat de nobis existimatio, tanta de Societate, de Collegijs, quæ non affectu solo, sed præcipua quadam liberalitate subleuabat.

Et ad retinendos in Regis fide Belgas plusquam Castella valitura.

Et ad Hæreticorum ausus retundendos.

7. A MARGARITA Serenissima Odoardi Parmensis Ducis egrègia vxore, quæ super cœnam, ijs qui fabulam narrabant de iuvene Florentino ab uno è Nostris mortuo, dixit, Credituram se facilius à Iesuita suscitatum mortuum, quam viuum hominem occisum fuisse. Qua voce præclaram Serenissima Princeps in nos humanitatem declarauit suam, & narrantium leuitatem castigauit egregie. Ita apud P. Rho Apolog. aduersus Pseudo Constantin. fol. 189.

Celebre Margarita dictam in Societatis commendationem.

8. A CAROLO GONZAGA Niuernensi in Gallia Duce assente, longe aliud esse iudicium de Societate, hominum sanamente res æstimantium, ut quam longo vsu constaret, vtrisque rebus, & Religioni, & Politicæ admodum esse vtilem. Ita in Annal. Societ. anno 1612. fol. 558.

Que utilissima est Religioni, & politica.

9. AB ALBERTO BAVARIÆ DVCE, Qui dum Archiducis Caroli filiam Mariam duxisset, id moniti genero Socer sapiens, sapienti dedit: Quod pertineret ad Religionem, si conseruatam eam, ac restitutam vellet, non vnum Græcij, sed quàm multa posset in suis Prouincijs Collegia SOCIETATIS excitaret. Ita ille Par. 3. Hist. Soc. lib. 7. num. 55.

Et eius Collegia ad Religionem conseruandam ac restituentiam.

AB EODEM, *Qui assidue ad studium Catholice Religionis ad-*  
*dens, Ingolstadiensi Collegio nouum attribuit in Academiâ munus,*  
*& Sociorum subsidium postulauit, ad nouum Landshutæ Collegium,*  
*ubi Guilielmus Dux filiorum maximus degebat edificandum, &*

*Huius Insti-*  
*tutum Ec-*  
*clesiæ Ca-*  
*thol. utile,*  
*ac necessa-*  
*rium.*

*litterarum ingressum hunc fecit. Cum nouo subinde merito, no-*  
*ua virtutum dignitate, gratiam, fauoremque nostrum sibi*  
*demereatur deuota Saluatoris IESV SOCIETAS, æquissimum*  
*arbitramur, vt ad omnem illius commoditatem, honorem,*  
*& quietem eò plus studij & patrociniij conferamus, quò to-*  
*tum illud eius Institutum Ecclesiæ Catholice vtile magis, &*  
*necessarium cognouimus. Ac nostra certè Bauaria restituta*  
*auitæ pietatis, quam præsentium temporum morbi nonnihil*  
*labefactarant, magnam partem SOCIETATI debet. Nos*  
*ipsi ita diligimus eam sincerè, vt nihil tam cupiamus, quam*  
*plura eiusdem Collegia, & eorum, quæ iam erecta sunt,*  
*maiores & auctoritatem & dignitatem. Hæc Nobilissimus*  
*SOCIETATIS Pater ac Patronus Albertus. Ibid. lib. 7. nu-*  
*mer. 64.*

*Illi auitam*  
*pietatem*  
*restitutam*  
*Bauaria*  
*debet.*

*Laudatur*  
*in Ignatio*  
*Societas.*

*Qua est*  
*Sanctitatis*  
*Domiciliū*  
*caelo gra-*  
*tissimum.*

*Christianæ*  
*Religionis*  
*pene cor-*  
*ruentis &*  
*mundi*  
*percuntis*  
*Asylum.*  
*Isai. 51. 1.*

IO. A PETRO DE ARAGON Filio Ducum de Terranova  
*Oratione de Beatificat. S. Ignatij, que habetur in Libro festorum*  
*Salmanticensium in eiusdem Beatificat. fol. 193. col. 2. Quas igitur*  
*(inquit inter alia multa) Ignatio pares tanto (Societatis) benefi-*  
*cio grates Respublica Christiana persoluet, muneris huius*  
*ornata pulchritudine? honestata præstantia? quibus honesta-*  
*bit obsequijs, & æternis Panegyricis posteritati commenda-*  
*bjt? Certenulla erunt satis, & perperam semper pro dignita-*  
*te celebrabitur is, qui amplissimam hanc Societatem, & IESV*  
*semper virtutibus Sociam, augustissimum omnium oculis*  
*datum Sanctitatis Domicilium caelo gratissimum, nobis au-*  
*tem perfugium salutare, è fundamentis feliciter erexit Chri-*  
*stianæ Religionis penè corruentis tutissimum, & mundi per-*  
*euntis Asylum: ex quo quot eximia admiranda Sanctitate*  
*Illustres filios ab hac radice propagatos, ab hac firmissima*  
*Petra excisos vidimus? Martyres, Doctores, Prædicatores,*  
*Virgi-*

Virgines; qui & si Sanctorum Catalogum pretiosum proprijs nominibus non exornent, multis tamen & virtutibus, miraculis celebres, caelestibus excepti orbibus veluti nitidissima sydera collucent, & diuinæ aulae inter primos asseclas in ea triumphalibus insigniti ornamentis incolumes, & gloriosissimè liberi commorantur. *Et postea fol. 149. col. 1.* In illa enim Societate (*inquit*) veluti in gloriosissima Palma exacte, & vere expressa inueni, quæ de arbore fortasse tantum gloriose prædicantur. Hanc enim Christi Comitum Sanctissimam Societatem falsissimorum criminum, iniusto sane, sed grauissimo oneratam pondere nunquam, nec hominum vires, nec Dæmonum artes deflectere potuere: sed illo potius non onere oppressa, sed honore sublata Societas ad sublimiorem gloriæ apicem ascendit, maiorem adepta est dignitatem, eius in ortu clarissimo & veluti in vna parte, & aridis multis corticibus, dum innumeris calamitatibus, & acerrimis insectationibus angusta deprimitur. In summo vero illa singulari gloria, & innumeris laudibus quasi pulchræ viriditatis folijs amplitudine diuinæ retributionis expanditur. Hæc, inquam, Palma non in terris fortis, in caelestibus debilis vnquam apparuit: sed e contra in terrenis debilis longe studiosior se præbuit Deo, quam sæculo. Neque ligniculum osseum pretiosum illi deesse poterat, quæ tot inuidis suæ pulchritudinis veluti fascinantium oculis semper expositam, dum eam fictitijs calumnijs fædere, commentitijsque criminibus contaminatam deturpare, & aduersis fortissimis viribus oppugnare, vndique conarentur. Illa sola perfectione munita vanam criminum Chimeram, & molem sua innocentia labefactauit, ac solo euertit, eò virtutis vi celsior, atque sublimior, quo calumniarum pondere, videbatur depressior. Ex hac triumphali Palma caelestis ille ignis Charitatis Ignatius erupit, ac prodiit, & in dies incensos, & innumeros veluti carbones eodem diuino, & hominum amore fœcunda euomet conflagrantes. *Et tandem*

*Ex qua velut ex firmissima Petra excisi eximia Sanctitatis illustres filij.*

*Qui velut nitidissima Sydera collucent.*

*Est gloriosissima Palma, quo magis calumniarum pondere oppressa, eo sublimior.*

*Eius folia innumera laudes, & singularis gloria.*

*Ex ea caelestis Ignatij Ignis erupit.*

*A quo velut  
Sole, ipsa vt  
Luna lucē  
mutuatur.*

*Et inter  
vitiōrum  
caligines  
lucidior  
splendet.*

*Continuo  
crescens,  
nunquam  
defectus  
patitur.*

*Eius filij in  
hac vita vt  
sydera in  
die latent,  
& in mor-  
tis nocte  
micant.*

*Quanti il-  
los fecerit  
Aytōnensis  
Marchio.*

*Quanti  
Misionem  
Castrensem  
Spinola.*

*concludit.* Ex hoc autem coruscante & Clarissimo (Ignatij) sole, argentea huius amplissimæ Societatis, non secus ac Luna pulcherrimam illam, & cælestem mutuata est lucem, qua in ignorantia, & flagitiorum tenebrosa noctis caligine semper mortalibus præfuit lucidissima, eo tempore maximè micans, quo magis cetera vitiōrum execrabili dissolutione videbatur obtenebrata. Quæ luna licet fulgentissima, & plenissima semper luce perfulserit, lunæ tamen caruit volubilitate naturæ, neque vnquam temporum est passa defectus, progressus tamen in dies, & incrementa est imitata feliciter. Multū laxatis penitus affectui meo habenis in huius Clarissimæ Societatis laudes haud inuitus digrederer: sed ab incepto me reuocat opere eorum modestia, qui malunt laudabiliter facere, quam laudari. Et hoc proprium Societatis IESV, ac peculiare, vt diuinam gloriam laudari, Maiestatem toto terrarum Orbe perquirant, inuentam palam in luce collocent, suam tamen tantum abest expetere, quin potius passim illam in tenebris conspiciant. Sinamus igitur illos tanquam Sydera in die, hoc est in vitâ latere: sua enim sponte in mortis nocte (illis tamen meridies) fulgebunt satis. *Hæc ille in summam Sociorum, & Societatis laudem.*

11. AB AYTŌNENSI Marchione pientissimo æquè ac fortissimo Principe, quem capto Schenckiano in nosocomium ingredi parantem, ob loci angustias, & graueolentiam dissuadebat ingressum Sacerdos noster; cui ille, Nihilo (inquit) meliorem me duco Societatis Patre: Tu quo intrare non times, cur ego timeam? Sic ille apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. fol. 889. Ubi additur de Eodem nobilissimo, ac strenuissimo Principe, quod sub belli tempora non prius de milite, quam de secuturis militem Patribus cogitabat, prosperum sibi Martem promittens, si à diuinorum cura auspicaretur.

12. AB AMBROSIO SPINOLA Marchione celeberrimo, supremoque militiæ Belgicæ Imperatore, qui quotidianus, idemque grauissimus actionum nostrarum testis erat, ad Hispaniarum Regem scripsit pro seruanda nostra Missionem Castrensem, suamque hac de re sententiam

rentiam luculento scripto comprehensam Regi transmisit. Quas ubi literas accepit Rex Catholicus, ex eisque didicit, quanto sue Maiestatis honore, quanta Ducum, militumque gratia, & quod caput, animorum vilitate adhuc in castris versata esset Societas, quantis se confecisset laboribus, quod periculis obiecisset sola salutis aliena causa predictam Castrensem Missionem perpetuam esse voluit, &c. Sic Ibid. lib. 6. fol. 810.

13. AB ALBERTO Comite Palatino utriusque Bauaria Duce nominatissimo, ac serenissimo, nec minora, imo illustriora in Sociorum laudem scribente, qua ille anno 1560. Scriptis ad Lainium Generalem literis consignauit in hac verba. Quis homo verè Christianus non gaudeat ex animo, videns perexcellentem filiorum Paternitatis Vestrae doctrinam, vitamque laudabilem, Hæreticorum vires debilitatas, & pertinaciam confusam ac pudefactam? de quo merito, tibi tanquam eiusmodi filiorum Patri, congratulamur, quorum operâ vnicè speramus hæreses tandem extinctum, & Catholicam Religionem restitutum iri. *Annuat Deus tanti Principis atque adeo totius Ecclesie voto tam pio.* Hæc Ibid. lib. 5. cap. 7. fol. 647.

Sociorum doctrinâ, & vitâ hæreticorum vires debilitate.

Hæreses restringenda, & religio Catholica restituenda.

14. AB OROPESANO Comite asserente, Pluris se facere Collegij nostri Oropesani patrociniū (est enim illius Patronus) quàm ditionem totam à Maioribus acceptam. *Quæ maior de Societate existimatio à tanto Principe posset emanare.* Sic in *Annal. Soc. ann. 1605. fol. 220.*

Societatis Collegium sua ditioni præponebat Oropesanus Comes.

15. AB HERMANO Comite totius Geldria Gubernatore aliquando Archiduci Alberto, ingenuè fatente, Se Collegium vnum Societatis in Geldria arcibus à milite, omniq; apparatu bellico instructissimis anteferre. Ita in *Annal. Soc. ann. 1610. fol. 297.*

Et instructissima arci Hermanus.

16. A FERDINANDO SILVA Comite Cifontano, magno apud Carolum V. loco, à quo & filiarum custos, quas Infantes appellant, & totius illius Curie quasi Magister est factus, de Patribus nostris talem, ac tantam opinionem hauserat, vt cum eos adiret, illud ferè haberet in ore, Conferamus nos ad Clericos sanctos. Sic ille *Par. 1. Hist. Soc. lib. 5. n. 66.*

Socij antonomastice Clerici Sancti.



17. A MARIA SANCTA SEVERINA *Vrbis olim Olanae Comite, Literis ad Lainium Vicarium sua exaratis manu pro fundatione*

*Ciuitatem  
Eorum Col-  
legio dona-  
re, maius  
beneficium  
est, quam  
plurimum  
Vrbium do-  
minatus.*

*Collegij Nolani. Nolam (inquit) Ciuitatem, apud quam maximam & optimam Vitæ meæ partem exegi, quamdiu in ditione habui, multum amaui, quod semper erga me obseruantissimam experta sum. Nunc vero postea quam mea esse in potestate desijt, amo etiam magis. Cum enim nihilo me quàm ante obseruet minus, &c. Agitanti autem mihi assiduè quemadmodum tantorum meritorum gratiam queam referre, in mentem venit, si curarem: vt ciuitas libera, sui que iuris esset, ac multarum præterea dominatu Vrbium potiretur, beneficium multo leuius fore, quam si ei Collegium è Vestris Patribus impetrare conarer, daremque operam, vt Dei famulos adeo communi Domino charos, ita proximorum saluti addictos, & ad eamque curandam solertes, ac vigiles intra sua moenia haberet, &c. Hæc Vrbis Nolanae Comes Sancta Seuerina; quippe nupta olim fuerat cum Henrico Vrsino (qui vltimus Comitum eam ditionem possedit) pietate non minus, quam generis Claritate nobilis Matrona. Par. 2. Hist. Societ. lib. 2. num. 76.*

*Sunt Deo  
chari, pro-  
ximorum  
saluti ad-  
dicti, & ad  
eam curan-  
dam soler-  
tes.*

18. A IVBARTO S. Vitalis Comite Sala Octauio Parmensi Duci unice charo, qui pene iam exhalans animam Ducem aduocans falsis rumoribus Societati aduersum, sic est allocutus. Ego (inquit) quàm verè Excellentiam tuam, ac sincerè coluerim, certiorum testem nullum habeo, quam Te ipsum: item me super merita mea benigne habitum abs te scio, atque profiteor. Itaque cum fides erga te mea, tum merita in me tua cogunt id supremis verbis effari, quod ne ignores, tua plurimum referre puto. De Societate IESV multa apud te iactata esse compertum habeo: quæ cum Ego falsa esse certo sciam, nolui moriens permittere, vt diutius bonæ tuæ menti imponerent, illuderentue imperitorum hominum, aut maleuolorum sermones. *Hic multas pro animi sui studio Societatis laudes cum recensisset, adiecit. Hæc Ego quia planè penitusque perspexi, & comperi loquor; Tuque ipse intelligis, nec mei moris vnquam fuisse*

*Societatis  
innocentia  
commen-  
data.*

fuisse fingere neque hoc tempus esse mentiendi. En vides, vt supremum meum spiritum horum manibus totum permiserim: & sane maximum illud summo hoc rerum articulo solatium habeo, quod talem mihi Deus adiutorem largitus est. Cetera, quæ apud te iactata sunt, quam longe à vero absint, hinc pro tua sapientia argumentum cape. Quod, cum vsque eo decantari audieris hosce homines in morientium insinuare se testamenta, ego cum sponte mea nescio quid Mutinensi legarem Collegio, id Rector simul ac audiuit, nullo modo fieri est passus. Itaque si incorrupta vnquam fidi hominis apud fidentem studia, quidquam momenti habuere, valeant apud ingenuum, ac nobilem animum tuum postremæ hæ voces, & hoc mihi nil fortasse aliud vnquam petituro concede. Da operam, vt huius Societatis Familia Parmæ statuatur. Confirmatio tibi ex optimis, quæ facere aliquando possis factis id futurum. *Hac ille Ibid. lib.8. num.60.*

19. \* A FRAN. HURTADO DE MENDOZA Comite Montis Acuti, Præsidaeque Regio nomine in Concilio Prouinciali Salamantino ann. 1566. qui aduersus Episcopum Placentinum Societatis inimicum, plurimum laudauit illius Institutum, procedendique modum, magnumque fructum, quem faciebat in Ecclesia Dei, ingens item iuuamen quod Prælati præstabat: Obligationemque habere (tandem asserebat) eam defendendi, ac propugnandi. Sic Princeps nobilissimus Tom. 4. Viror. Illustr. Societ. fol. 641. in Vita P. Araoz. §.6.

*Eius Institutum laudatum, & propugnatum.*

## A PROREGIBVS, SENATIBVS.

E T

## SENATORIBVS.

Societas  
commen-  
datur Urbis  
Vicario:

I. **A** IOANNE VEGA *Castellæ Præside, ac Sicilia Prorege, viro siue religione, siue bello, ac pace plane summo, nec ullis vnquam laudum præmijs adequando, qui ex Oratore Cæsaris Caroli apud Pontificem Sicilia iam Prorex ad Philippum Archiepiscopum Salasfiorum Episcopum, & almæ Urbis Vicarium in Ignatij, Societatisque commendationem scripserat: cui Vicarius ipse rescripsit. Pergratum quidem sibi fuisse commendationis Officium; sed ita, si suum vicissim, cum commendaret Ignatium, & eius Familiam, pari animi affectu, voluntateque susciperet; venia insuper postulatâ, si cum eo de Societatis amore certaret. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 7. n. 1.*

Et Cæsari.

AB EODEM: *Qui perseuerans semper in amore opinionemque Societatis, à Cæsare impetrauit, ut Abbatia, quæ prima vacaret, quingentos, sexentosve annui census ferens aureos Panormitano Collegio assignaretur. Et quoniam rescripserat Cæsari (is Carolus V. erat) Societatem, quam ei commendauerat, non satis cognitam sibi aliunde fuisse, tametsi dictis eius, ac literis fidei satis habebat, faciendum Vega putauit, ut literarum Apostolicarum exemplar, quibus Societas confirmabatur, ad eum mitteret, & simul obsecraret, Testimonium de Ea sumeret ex ipso Pontifice, Ferdinandoque Romanorum Rege, minimè dubitans, quin tantorum Principum testimonium cum sua testificatione congrueret. In Africanam expeditionem hac ætate discedens, nihil antiquius habuit, quam ut Lamium precibus, & Sacrificijs apud Deum, opera, & Concionibus apud milites, presidio*

dio futurum, una deduceret. Sic Ibidem lib. 10. num. 87. & 88. Et lib. 16. num. 18. constat tantam in Socios benignitatem, amorem tantum operibus etiam ostendisse, ut iam ipse Prorex aduocande in Siciliam Societatis primus auctor extiterit, Messanaeque constituende.

AB EODEM: Qui militari sua eloquentia nimium dolens Parentis nostri Sanctissimi occasum, gratias agit Deo, quod cum ei visum est tempus, ad se famulum suum transtulit, relictis inter mortales bonitatis sanctitatisque trophæis, quæ nec tempus, nec aer, nec aqua euersura vnquam sint, uti cernuntur euersa, quæ inanis gloria statuerat & secularis ambitio. Ait, se considerate triumphum, quo receptum in Cælo par foret, qui tot victorias præferabat, totque feliciter pugnatas pugnas aduersus tot tamque acerbos, ac barbaros hostes: quamque merito sancti huius Imperatoris signum in cælo possit inter signa statui S. Domini, Francisci, aliorumque Sanctorum: quibus Deus dedit, ut tentamenta, & miseras sæculi superarent, plurimasque animas eriperent à faucibus Tartari. Pariterque considero (inquit) quam sit hæc gloria, & triumphus procul ab inuidia aliorum Sanctorum Heroum, quamque diuersus ab sæculi huius triumphis & gloria miseriarum, & inuidia plenis, & cum damno Reipublicæ, corruptelaque coniunctis: quæ omnia eo valent, ut ingenti solatio, & firmamento sint nobis ad mitigandum quamuis acerrimum talis iacturæ sensum: utque expectemus adiumentum è cælo, quod melius, quam cum esset nobiscum, poterit præstare tum suæ Familiæ, tum omnibus qui sancto viro noti, deuotique fuere, ac sunt. Hæc ille Ibid. lib. 16. num. 128. Epist. in obitu S. Ignatij.

Ignatij  
laus, & do-  
lor ex eius  
morte.

AB EODEM: Qui mirabatur non modo in Societate, sed nec in quopiam, qui ex eius institutione penderet, compertum quidquam vitij fuisse: sic enim in Siciliam ad Domenecum Iulio extremo scripsit: Non desunt quidam præsertim è Religiosis vehementer perturbationibus exagitati, Societatemq; & quidquid ab ea recte fit, exagitant, quos videtur Deus punisse. Namque mor-

Et Societa-  
tis, ex ma-  
leuolorum  
inuidia.

Yy bus,

Et quia  
Lutherana  
pestis præ-  
seruatricis.

bus, ac pestilentia Lutherana, quæ his diebus comprehensa est, ex istis profecta est. Ac Societas non modo in Religiosis, alumnisque suis contaminata non est, sed etiam per eam ista venerunt in lucem mala. Vniuersique qui apud Religiosos ex ea confessi sunt, integrique perseverauerunt, & ab ista intacti lue, beneficio plane singulari Dei: cui gratiæ debentur infinitæ, ita regenti, & illuminanti, qui confidunt in illum. Ita ille Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num. 126.

Socij He-  
roes subli-  
mes, & ad-  
mirabiles.

AB EODEM, De quo Abbas Sylvester Maurolicus (in Oceano Religionum pag. 406.) refert, à tanto Sicilia Prorege dictum ad eundem Hieronymum Domenecum de primis è Societate Patribus istic visis, ac è pulpito, [athedraque auditis: Deus bone! (aiebat Prorex) ecquod hoc Heroum sublimium, & admirabilium genus est, quod nobis adduxisti?

Ad anima-  
rum lucra  
plurimas  
induit  
personas  
Societas.

2. \* A PROREGE INDIE ORIENT. Qui P. Abrahamum de Georgis videns Turcico habitu indutum, asseruit: Hæ sunt adinventiones, quibus Societas ad lucrandas Deo animas vitur, propter quas suos filios tot, ac tam manifestis terra marique periculis exponit. Ita Tom. 2. Viror. Illust. Soc. fol. 498. In vita P. Georgis.

Quantum  
elimata à  
Tigrensi  
Prorege.

3. \* A PROREGE TIGRENSI In Æthiopia, qui tam humiliter de se, ac tam magnifice de Nostris, nostraque Religione sentiebat, vt plane fateretur, ac diceret, Se Societatis famulum, ipsiusque socios exalceandi indignum. Sic in Relat. Æthiopiæ. lib. 1. cap. 13. fol. 96.

Et ab Abas-  
sinens.

4. A PROREGE ABASSINENSI, Cuius etiam in colenda Societate tantum studium, vt cum indignum se, diceret, qui vel infimum genus Officij socijs exhiberet, Christianum hominem muneribus ample donatum, suæ etiam mensæ adhibuit, causa non alia, quam quod Societatis nostræ Patribus ministraret, quin eo aliquando se demissionis abiecit, vt ciborum etiam reliquias, quæ à religiosæ nostrorum refectioe supererant, sibi sumendas cum summa veneratione colligeret: qua de re cum moueretur à Patribus, verecunde scilicet, ac tantum non moleste ferentibus, nimiam quoque tanti Principis

*cipis obiectionem, negavit, Quid commodius indulgeri posse caniculæ, nec quid lumi ab ea melius, quam micæ à Domino- rum mensa deciduas. Sic ille apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 9. fol. 659.*

5. A SENATV GALLIÆ In publica sententia aduersus Iobilianum, qui Libellum Anticottonum nomine (in quo Iesuitæ à Calvinistis accusabantur de Regicidio) in vulgus sparserat: ea sic se habet: Ioannes Antonius Iouilianus damnatus est, ipsumque damnamus ad multam honorariam foro faciendam ipso die fori, cum forum agitur, vbi nudato præter indusium corpore, apertoque capite, flexis genibus, suspensa è collo rekte, ac facem pondo duarum librarum manu gestans alta voce, vt ex audiri possit, renunciabit, quod scelestè, & malitiosè per diuersa huius Urbis loca (scilicet Parisorum) proiecerit, & sparserit folia, seu chartas impressas, extractas ex Libello quodam pernicioso, & maligno, qui Anticottonus inscribitur, ad turbandam quietem publicam, excitandas turbas, & seditionem in hac ciuitate mouendam composito, quod fufius habetur in instrumento litis: cuius facti petit à Deo, Rege, & Iustitia veniam: in ipsius autem præsentia prædicta folia, seu chartæ frangentur, & dilacerabuntur. Inhibemus autem illi, & interdiciamus sub pœna capitis, ne simile quid committat in posterum. Ceterum ad quinque integros annos Regni Galliæ exilio illum multauimus, & multamus, &c. Ita Decretum, quo honor Societatis lesus restitutus, & à Gallico Senatu reparatus est. Ita apud Becan. Tom. 4. Opuscul. fol. 222. & apud Fagundez in Præcept. decalog. lib. 8. cap. 17. num. 12.

Societas defenditur à Senatu Gallicano contra libellarium

6. A SENATV ANTVERPIENSI: Qui cum interrogaretur ab Urbis Gubernatore Perenotto, probaturusne esset, si qui amicorum opportunam Societati compararent domum, respondit. Nullam in Vrbe sua tam esse splendidam quam non ei ex merito se debere fateretur, ac si nulla esset, aut ampla satis, aut comoda, voluntatem suam neuiquam deesse ad excitandam

Eius ingressus Antwerp. quam desideratus.

nouam, sed iniquitate temporum negatam facultatem. *Tanta Senatus erat in Societatem beneuolentia. Sic apud Imag. I. sac. Soc. lib. 6. fol. 747.*

Et Bruxel-  
lenfibus,

Ad Ciuita-  
tis opem, &  
Religionis  
decus resti-  
tuendum,

7. A SENATV BRVXELLENSI: *Qui literas ad Franciscum Costerum Prouincialem expedit sane honorificas, quibus primùm, nec immerito deplorat præteritis bellorum tempestatibus afflictam, oppressamque Rempubliam suam communi patriæ calamitate. Deinde sæpius agitasse animo, fatetur, ante ipsas turbas aduocare Societatem: quod quia neglexerint, nunc conscientia urgeri, adeoque extremos adhibere velle conatus impetrandis aliquot Patribus opem prostratæ Ciuitati laturis, & suum Religionis restitutoris decus. Ita Ibidem fol. 755.*

Scholarum  
utilitas.

8. A SENATV RVREMVNDANO, *Cuius publicæ extant literæ testantes. Incredibilem iuuentutis mutationem vel vnus anni spatio factâ per Societatis Scholas. Quare minimè mirandum exosas esse singulariter Hereticis, qui eas solas, ceteris quibuslibet impune permissis, seuera lege interdixtas suis uoluerunt. Sic Ibidem fol. 772.*

Eius dis-  
cessus sub  
pœna capi-  
tis cauetur.

9. \* A SENATV REGIO CANARIENSI, *præconis uoce mandante, Sub vitæ, amissionisque bonorum pœna, ut à nullo cuiuscumque status personâ, Patres Societatis IESV ex Insula extraherentur, neque phasello, aut nauigio ullo admitterentur. Ita Senatus nostrorum dolens absentiam discessumque, decreuit: apud Euseb. in Vit. B. Borgia lib. 3. cap. 10.*

Et fama  
defenditur.

10. A SENATV TOLOSANO: *Qui in colligendo Libello quodam aduersus Societatem famoso, inter alia motiua illi perquam honorifica publico decreto, ut præcipuum hoc designauit, statuens, Religionis rem agi, ubi Societatis bonum nomen sine causa periret. Ita in Annal. Soc. ann. 1618. fol. 593.*

Eius singu-  
laris mode-  
stia in po-  
pulari tu-  
multu.

11. A SENATV CÆSARAVGVSTANO: *Qui ad Nostros ab Urbe ob popularem tumultum exire statuentes, sic allocutus est. Tumultum popularem tantum sibi attulisse molestiæ, quantum Societatis egregia voluntas attulerat voluptatis, nec se nescire turbatum vnde oriretur initium, aut quis tandem Lapides impe-*

imperitæ plebi suggereret, occuleretque manum. Societatem facere suæ consuetudini, suoque nomini consentanea, quæ tam singulare modestiæ specimen, concordiaque daret, nec minus esset admiranda ciuibus in digressu, quam salutaris in mora. Sed huius quoque beneficij memoriam seruaturum, & paucos intra dies quanti Societatem faceret, ostensurum. *Hæc Senatus, à quo digressi Patres, honorificeque deducti sunt domum à Senatoribus aliquot. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 15. num. 73.*

12. A SENATV LIMENSI *In Decreto illo adeo celebri, quo de nobis ille mira predicabat encomia, indigenisque Limensis Urbis toto iam Orbe celeberrima seuerè præcipiebat, Vt singulis Dominicis diebus ad Societatis Templum conuenirent, Catechesim à Nostris, ac de rebus diuinis concionem audirent. Tantam Regius ille Senatus de Societate in hoc munere opinionem conceperat. Ita in Annal. Societ. ann. 1606. fol. 184.*

*Electa Societas ad Catechesim edocendam.*

13. A SENATV NOVI REGNI *Literis ad Philippum III. Regem Catholicum enixe postulante, Triginta illuc è Societate mitteret, qui barbariem, inscitiam, idolorumque cultum penitus insitum ex multarum Nationum animis euellerent, sicut ipsam Ciuitatem Regni totius caput, Socij auspice Deo, ab improbissima in optimam conuerterunt. Sic in Annal. Societ. ann. 1604. fol. 108.*

*Expedita ad barbariem, & idolorum cultum euellendum.*

14. A SENATV BURDEGALENSI *Prouinciæ Aquitanie ita Nobis fauente, nostrumque nomen à maleuolorum inuidia defensante, ut in Regia, in Comitijs, in maximis principum virorum conuentibus, Societatis causam grauissimè defenderit, Seque hoc veritati, fidei, Catholicæ Religioni tribuere, testaretur. Ita in Annal. Soc. ann. 1596. fol. mihi 412.*

*In Comitijs defenditur à Burdegalensi Senatu.*

15. A SENATORIBVS GANDAENSIBVS: *Qui timentes, ne Claudius Generalis è Missione Gandauensti euocaret Patres (is rumor Gandau percrebuerat) datis communi nomine literis, obnixè Claudium orauere, Per Iesu Christi sanguinem (ipsorum hæc*

*uititas ex Gandauensti missione.*



*Et labor in  
conuellen-  
dis heresi-  
bus, & fi-  
dei digni-  
tate insti-  
tuenda.*

*verba sunt*) ne Societatis Missionem reuocari pateretur ; sed contra iuberet eam confirmari, ad emolumentum spirituale, bonorumque ciuium consolationem. *Fatebantur enim*, Patres ad se missos magno totius ciuitatis commodo ita desudare in conuellenda Hæreticorum prauitate, ac Catholicæ rei dignitate restituenda, vt Ecclesia Dei magnum in dies sentiret incrementum. *Sic illi apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 6. fol. 889.*

*Commen-  
datur So-  
cietas ex  
maiori præ-  
ceteris fru-  
ctu.*

16. A SENATORE DOLANO *Clarissimo in amplissimo Senatu, ceterorumque Urbis Magistratum confesso pronunciante*, Plus fructuosæ operæ, ac necessariæ opis in rem Christianam contribui ab vnica Societate, quam ab vniuersis ceteris religiosi Instituti familijs. *Et postea addit.* Hunc Patrum Ordinem vniuerso esse Orbi vtilissimum, adeoque etiam necessarium : cui fouendo, multiplicandoque omnes ijsdem legibus teneri, quibus rem Christianam sartam, tutamque velle, ac præstare deberent ; eoque sibi persuasissimum esse, subministrando Societati operarum supplemento, non Religionis modo tenendæ, sed status etiam publici conseruandi nomine, à cuiuscumque gradus hominibus liberos suos, atque in ijs natu maximos, sponte alacriterque esse deuouendos. *Hæc ille in Annal. Soc. ann. 1612. fol. 645.*

*Ex labori-  
bus.*

*Ex veloci-  
tate nubium,  
& Angelorum  
instar.  
Isai. 18. 2.  
Isai. 60. 18*

*Ex opposi-  
tione cum  
Luthero.*

17. A IOANNE SOLORZANO *Regio Senatore ac scriptore doctissimo Tom. 1. de Indiar. Iure lib. 1. cap. 15. num. 22. ubi agens de expeditione Orientali, hæc scribit.* Quâ in expeditione cum multum laborauerint Religiosissimi Patres Societatis IESV, teste Lumnio, eis congruere, ait, appellationem Angelorum velocium, de quibus loquitur Isaias cap. 18. & Nubium volantium, &c. *Et Ibidem cap. 16. num. 84.* Vbi Lutherus *(inquit)* diram tot heresum labem per Germaniam euomuit, Beatissimum Hispaniæ decus Ignatium à Loyola suæ Societatis Instituta, & milites præparasse, qui aduersus perfidum illum Hæresiarcham, & eius sequaces, & verbo, & scriptis vt faciunt, & fecerunt semper acriter, & feliciter decertarent. *Et postea*

postea lib.2. cap.19.num.22. Et tempestate nostra (ait) S. Franciscus Xauerius, & alij eius socij Euangelium euangelice cum magno fructu in India Orientali prædicasse leguntur, Indis, Persis, Arabibus, Æthiopibus, Malabaribus, Iaponensibus, Sinenibus, & infinitis alijs, &c.

Ex Orientali prædicatione.

AB EODEM : Tom.2. de Indiar. Guber.lib.1.cap.26.num.97. Vbi asserit ex Francisco Zipao de Magistrat. lib.3. cap.3. num.6. Hanc curam educandæ, & instruendæ adolescentiæ Patribus Societatis IESV cum primis committi debere, eo quod eorum Institutum ad hoc valde vbique conduxisse videamus. Qua de causâ & hæc Indorum Collegia eisdem Limæ, Cuzqui, & in alijs vrbibus Peruanis commissa sunt, & Ego semper reliqua committi debere iudicavi. Et postea Ibidem lib.3. cap.16. num.68. postquam dixit conseruandas doctrinas, quas religiosi Patres Societatis IESV ad suam curam, & tutelam receperunt, statim addit. In quibus (doctrinis scilicet) mirum est quantum vigeat, & floreat ipsorum Indorum in religione, & vitæ politicæ institutione profectus, & defensio, ac tuitio ab iniurijs, quas ab Hispanis, Hybridis, & Æthiopibus, & à proprijs etiam Prætoribus pati solent. Et tandem num.70. Concludit: Vnde pluribus schedulis Regijs cauetur, vt dicti Patres foueantur, & ad similes doctrinas capeflendas alliciantur, præsertim in Epistola quadam ad Dominum Proregem D. Franciscum à Toletto ann.1574. Tom.1. pag.113. & in alia ad Dominum Martinum Enriquez 1583. & nouissime in alia ad Dominum Principem Squillacensem dat. Matrit.28. Mart.ann.1620. Hucusque Senator sapientissimus in non modicam Societatis laudem.

Ex adolescentum educatione.

Etiam Indorum.

Et ex Doctrinis in Regno Peruanis.

18. A PROTOPRÆSIDE Senatus Tolosani Nobilissimoque Viro Domino de Verdun, qui dum Parisijs in Prouinciam illam suam proficiscitur, Biterras diuertit, vbi honorificè exceptus, Cognouisse se, dixit, in ipsis Ciuitatis portis Collegium Iesuitarum intra Urbem esse: id scilicet conijciebat ex carmine quod illi ad portas ex teatro publico recitatum fuerat à duobus iuuenibus Schola-

Sociorum estimatio.

Schola-

Scholasticis nostris honestissimis. A meridie Collegium inuisit, nunquam passus per Urbem à latere suo P. Rectorem abscedere. Spectaculum sane tam ingratum Hereticis, quàm Catholicis iucundum. Et ad viros nobiles, ceterosque Urbis Magistratus, qui eum adfectabantur conuersus; Isti, inquit, sunt Patres Societatis, à quibus mores, & litteras hauisse me fateor, quorum industria ac labore ciuitates Gallix nostræ viris pijs muniantur, ac doctis. Et multa eiusmodi, quæ sine rubore, neque tunc à nostris audiebantur, neque nunc à nobis referri possunt. Ita in *Annal. Soc. ann. 1602. fol. 382.*

Quorum  
industria,  
ac labore  
ciuitates  
viris pijs, ac  
doctis mu-  
niantur.

Erga eos  
Diserini li-  
beralitas.

19. A GISSENO DISERINO, Consule Senatus Bergensis, qui strenuè in fundationem Collegij nostri semper incubuit: & cum in Collegij fundamentis non nemo diceret, excedi terminos, Consul ipse respondisse fertur, Isto in ædificio nullos sibi præfixos limites, & si qui forent, modum sese excogitaturum transgrediendi, cum probe sciret quanta Urbis, agrique Bergensis in Societatem iam tum esset obligatio. Sic ille apud *Imag. 1. sec. Soc. lib. 6. fol. 758.*

Societas  
Catholicam  
fidem, he-  
roicis, &  
frugiferis  
laboribus in  
Paraquaria  
propagauit.

20. \* A IOANNÉ DE LIZARAZV, Regio Conciliario, & Regij Senatus Argentini in Peruuo dignissimo Præside, in Edicto, mensè Iulio anni 1636. promulgato in hæc verba. Quoniam Maiestas Regis Domini nostri (quem Deus seruet) plurimis schedulis iussit, & fanciuit, vt Indi huius Orbis indigenæ protegantur, & defendantur in causis, quæ se se illis offerunt: & quoniam singulari ratione conuenit id fieri, & obseruari in Indis recens conuersis ad nostram sanctam fidem Catholicam, quam quidem sacra Religio Societatis IESV, heroicis ac frugiferis laboribus, propagauit in Prouincijs Paraquariæ, & in oppidis S. Ignatij, & Itapuano: in fluminibus Paranensi, Vruguayensi, & Iabebirino, & in Prouincia Itatinorum, quorum protectionis, ac defensionis ratio habenda est, quia cum benigne tractati fuerint indemnes, & illæsi, facilius, & firmiter quidquid ad suam conuersionem pertinet sint amplexuri. Quapropter cum mihi planè comper-

compertum sit, quod admodum RR. PP. Prouinciales è Societate IESV in suprädictis Prouincijs, vt homines, quorum officium est dirigere & promouere quod magis principale est, scient etiam quod spectat, & atrinet ad augmentum, conseruationem & pacem illorum Indorum, scient, inquam, optime prouidere quidquid opus erit, vt illi Indi habeantur, & tractentur tanquam subiecti, & Vassalli Vestræ Maiestatis, iure Regio, & communi legum præsidio communiti. Quod cum ita sit, vtendo potestate mihi concessa, nomine in protectionem Indorum Paranensium, Vruguayensium, Iabebinorum, & Itatinorum, quorum Prouinciæ concreditæ sunt Societati IESV, eiusdem Prouinciales, &c. *Hæc Iudex integerrimus in Memor. ad Philipp. IV. pro Prou. Parag. Matrit. typis edit. in Lite cum D. Fr. Bern. de Card. fol. 50.*

*Ad Indorum harum Regionum patrocinium expetitur.*

21. \* AB ANDREA GARAVITO DE LEON Senatore Regio Peruano in Aureo illo suo Memoriali ad Regem nostrum Philip. IV. magnum, & Catholicum: Episcopatus (inquit, num. 31.) Boniaeris, & Paraquariæ tenuissimi redditus sunt, sed dilatati admodum terrarum tractibus, & personarum multitudine: oporteretque pro ijs Episcopatibus præsentare Religiosos Societatis IESV, Viros in Indijs verè Apostolicos, & vt legibus cauetur Imperialibus, ad hoc ministerium compulsi, reluctantisque eligendi sunt. Eos V. Maiestas Pontifici præsentet, & fideles inueniet, & Regijs Vtilitatibus opportunos: parum illos litigia distinebunt, sapius à vanitate deriuata: multo minus illi improbitatibus obtemperabunt, quæ tanto perniciosiores timendæ sunt, quanto à Viris Primarijs plus fouentur. *Et postea num. 32. Primum (inquit) fidei fructum in Prouincijs Paraquariæ Martyrium P. Rochi Gonzalez & Sociorum è Societate IESV dedit: quæ tantorum Martyrum irrigatæ sanguine circumiacentes agros fecundarunt, vt omnia retro tempora sterilitate laborasse viderentur.*

*Et ad Episcopatus.*

*Eius filij vere Apostolici viri.*

*Paraquariam sub sanguine irrigarunt.*

deantur, & sane maiori quàm earum fata hucusque videntur. Decem & septem Reductiones in his Prouincijs fundatæ sunt (præter plures alias ab inimicis Brasilianis præcipue Paulensibus deuastatas) quare quasi per transfennam, Maiestatem Tuam oro, vt pia qua soles prouidentia, Tuam Iustitiam exerat aduersus eos, qui Tempa destruant, quæ ibi charitas diuino Nomini erexit. *Hæc nobilissimus Senator in dicto Memoriali, in quo tam bene de huius Prouinciæ Paraquariæ Apostolicis operarijs & loquitur, & sentit.*

*Ex quo mira fecunditas, & innumeri fructus subsæcuti.*

*Societatem expellere, est virtutem modestiam, ac religionem ablegare.*

*Et frænum morum, ac effrænis libertatis.*

\* AB EODEM, *Jam Gubernatore, & Visitatore eiusdem Paraquariæ, in Sententia, quam tulit in eos, qui ex Ciuitate Assumptionis Societatem per seditionem expulerunt, inter alia hæc ille ait: Expellentes dictos Religiosos vna simul ablegarunt virtutem, modestiam, Religionem, & frænum denique, quo hæctenus libertas effrænis, & morum prauitas eorum prædicatione, & exemplis compressa fuit, &c. Ita in Memoriali ad Philip. IV. Martii typis edito per P. Julian. de Pedraza ann. 1657. fol. 36.*

*Eius filijs Deus vititur ad conuersionem gentium.*

22. \* A IACOBO DE VERA, *Qui cum è Senatore Mexicano in Regij Senatus Philippinarum Præsidentem electus esset, à Prouinciali Mexicano petiuit aliquos è Societate Patres ad illarum Insularum culturam, sine quibus haud profecturum se instanter asseribat: quatuor tandem concessi tanto huius Christiani Præsidis gaudio, vt de genibus gratias Deo coram nostris egerit, ob ministros, quos secum ferebat (Sic ille dicebat) quibus diuina Maiestas vititur ad conuersionem gentium. Ita apud P. Sandoual Tract. de Institut. Æthiop. Saluandorum. lib. 4. cap. 9.*

*Eius regimen, admirabilis harmonia.*

23. \* A DIDACO DE SAAVEDRA *Equite Iacobo Regio Consiliario in Indiarum supremo. Is in suis Symbolis Christiano-politicis, symbol. 57. fol. 449. Societatis regimen admirabilem harmoniam appellat. Illudque cum Principibus, ac præcipuè Hispano Regi imitandum proposuisset, addit, Si Christiani Principes hanc*

hanc normam sequerentur, profecto illos regnandi artem optimè callituros. Ita eruditissimus vir paucis verbis non pauca in Societatis honorem complexus.

24. A PETRO CORNVTO Senatore Regio in suprema Delphinatus Curia in Tabulis triumphalibus & Historicis Henrici IV. Cognomento Magni Regis Gallie pag.55. Titulo Pietati, sic de ipso Rege loquens ait: Quoniam fide Catholica Regnum firmavit, & stabilivit, Religiosos Ordines dilexit, & amplexus est, Patres Societatis IESV Flexiæ in domo sua Augusta fundavit, & dotavit, & eos viros præstantissimos tanquam cohortes, & fortia propugnacula aduersus hæreses in diuersis Regni partibus disposuit, & collocavit. Sic ille.

Iesuitæ cohortes, & fortia propugnacula aduersus hæreses.



## C L A S S I S VII.

## A GVBERNAT. CETERISQVE

## M A G I S T R A T I B V S.

1. **A** GARCIA DE LOYOLA *Gubernatore Chilensi*, qui *Nostro Parenti Ignatio sanctissimo, arctissimo propinquitatis vinculo coniunctus, sic Sacerdotes nostros Caziquijs Araucanis commendauit: Homines (dixit) esse longe à communi reliquorum consuetudine alienos: non sibi aurum quærere, non argentum, nullum aliud denique lucrum nisi diuinum honorem, atque hominum salutem: huius vnus rei causa ex Hispania profectos, longæ periculosæque nauigationis incommoda magno animo subiisse: atque in vnam eam rem suam vitam omnem deuouisse: nihil ijs cordi esse, nisi hominibus viam ad cælum expedire, & quod ad humana attinet in his terris hominum commoda apud Prætorem, Præfectosque Regios procurare. Adiecit etiam quo maius Societatis beneficium faceret, A Rege missos in has terras, vt Hispanorum vitia corrigerent, & acerbissimis iniurijs, quibus ipsi premerentur, obuiam iretur. Hec pientissimus Gubernator in *Annal. Soc. ann. 1596. fol. 916.**

*Sociorum vnicum lucrum diuinus honor, & hominum salus.*

*Quibus vt viam ad cælum expediant, vitam omni periculo deuouent.*

*Sodalitatum fructus vberissimi.*

2. **A** GVBERNATORE GVADIANENSI *Mexicano*: Cum Societatis (*inquit*) progressiones, atque incrementa contempler, non possum non vehementer perpetuam huius vineæ admirari fecunditatem, quæ in omnes partes sine vlla cessione, innumeris iisdemque sanctissimis Institutis se fundit. Sed inter ceteros huius vitis palmites, Sodalitatum Beatæ Virginis Institutio vberimos edit fructus virtutum. *Sic ille in Annal. Soc. ann. 1611. fol. 856.*

3. **A** GV-

3. A GVBERNATORE SINENSI: Qui sub ipsa initia admissorum in Sina sociorum (cum moderationem in ijs eximiam, & in exponenda Christi lege virtutem animi, atque solertiam perspexisset, & porro suspexisset impensus) versâ demum in venerationem admiratione ita statuit, eos non transeunte verbo, sed expressis ex more Gentis suæ, affixisque tabulis perpetuis honorare: fieri id solet, factumque est hac, quam subijcio, celebritate, qua summi quique Magistratus suam in familiares tantum, ac pares sibi, benevolentiam publicè contestantur. Binas Tabulas insigni opere striatas, & coloribus illustres, eo qui in similibus obseruari solet apparatus, ad nos misit; adiecta voluntate sua, qua desiderabat earum vnam Sacre apud nos adicula vestibulo imponi, alteram in eâ optabat aulâ statui, in quam officij, & salutationis gratia conueniebant amici nostri. Illa cubitalibus characteribus hoc preserebat elogium, Diuorum floris Aedes: hæc verò paribus expressum literis hoc Societatis encomium exhibebat, Gens ex occasu sacrosancta: minoribus infra notis scripto Gubernatoris ipso nomine: quo quidem à grauissimo illo inter Sina Magistratu fieri ad amicam venerationem illustrius nihil potest. Ita apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 672. ex Trigaus. de Christ. exped. apud Sina lib. 2. cap. 5.

Eximius  
honor no-  
stris à Gu-  
bernatore  
Sinensi ha-  
bitus.

4. A GVBERNATORE PEQVINENSI In Sinensi Imperio celeberrimo, qui affine, & omnino gemino officij genere, & laudis amplissimæ plurimis post annis affectit Socios recens tum missos in possessionem aule suburbanæ ad P. Matthæi Riccij sepulturam, & usum Societatis perpetuum, auctoritate regia attributa. Is simili ritu adornatam missamque Tabulam tumulo Patris imposuit cum hoc lemmate: Ad Iustitiæ famam venienti Matthæo Riccio è magno Occidente. Quo quidem Sina, iustitia & ratione omnia metientes, ad summam venerationem significantius efferre nihil solent. Et ita sane etiam citra adulationem vel inuidiam ille potuit: cum maximorum eo ipso tempore Magistratum crebrò de Socijs audirentur hæc voces: Quod est tota hac aula tribunal, quod non intelligat legem illam, quam prædicatis iustam esse, veram esse? Summâ fateor, & debita veneratione fidei Catholicæ, & non

Et siatilis  
à Pequi-  
nensi.



minimâ etiam commendatione Sociorum, quorum non minus è moribus, quam verbis, iustitiæ ac veritatis Christianæ lux sese in corrupta prodebat. Hec Ibidem.

Sociorum singularis zelus, pietas, doctrina, ac modestia in iuuentute excolenda.

Quorû industria Urbes ex vitiorû nocte in lucem reuocantur.

Quam necessarij ad acuendam pietatem,

Et fidẽ Catholicã instaurandã. Solantur in laboribus Socij.

5 A VARIIS MAGISTRATIBVS: Quorum publicis expressa literis testimonia, sic se habent: Notum facimus (inquiunt) Societatis Patres in hac nostra Ciuitate singulari zelo, pietate, doctrina, ac modestia iuuentutem excolere, nec minus ad omnem virtutem atque honestatem, quam ad eruditionem informare. Et alibi: Testamur hanc Urbem hominum Societatis industria ex mera nocte, in qua ipsi eam deprehenderant, in lucem reuocatam. Item alibi: Fatemur Patres Societatis IESV ad instaurandam hic orthodoxam, & Catholicam fidem, ad acuendam pietatem, ad promouenda literarum studia, ad bonos & Christianos mores inducendos, magno vsui, adeoque necessarios fuisse. Hec Ibid. lib. 6. fol. 889. Et id genus multa alibi.

6 AB ANNA MOMORANTIO Comestabili, seu Equitum Magistro, ad quem cum Socij Parisienses, Anuillani filij monitu, quasdam purgaturi calumnias adiuissent, in hunc eos modum affatus est: Nequaquam me fugit quam multa Societas Veltra in Gallia perpeffa sit, postquam præsertim dissidium in Religione publicè factum est. Cæterum vos æquiore hæc animo ferre debetis, quod sunt vobis cum optimis quibusque communia. Ac recordamini quicumque in Ecclesia Dei magnum aliquid moliti sunt, magnas etiam, vti vos difficultates expertos esse. Quod si qua simplicitate, quaque pietate cœpistis Ecclesiæ Dei prodesse rei que publicæ, peragatis: nihil est quod vobis magnopere timendum sit: istis enim præsidijs tuti eritis. Quod attinet ad me operam meam nullo vnquam loco desiderabitis. Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 2. num. 59.

Præferuntur ceteris in re Christiana promouenda.

7. A PRÆTORE QVITENSI Ad Limanum Proregem de Socijs scribente: Mihi (inquit) affirmanti credat Excellentia Tua, ad rem Christianam promouendam, ad opportunam

nam his hominibus opem ferendam , plus esse illos vnos, quam omnes aliorum Ordinum familias : propeque illud affirmare ausim , pluris interesse Reipublicæ illos esse in his terris, quam Regios ipsos Auditores. *Ita ille in citata Imag. 1. sac. Soc. lib. 5. cap. 11. fol. 679. Benevolentia hic error, & excessus amoris est erga Societatem, quam nos omnium Religionum minimam profiteamur.*

8. A PRÆTORE INDIAE, *Ad Regem Lusitanum his ipsis verbis inter alia scribente: Sit totas quam primum Indias cerne- re Christianas cuperet, quam plurimos curaret eiusmodi de Societate mittendos. Tam præclarum Societati nomen primo- rum Patrum virtute, & industria partum in Orientali India. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 4. num. 73.*

*Quam sint  
vtilis ad  
India con-  
versionem.*

9. \* AB HYACINTHO DE LARIS Equite Iacobæo, Gu- bernatore Fluminis Argentei, seu Portus Boniaeris, in Epistola ad Governatorem Paraquaria D. Didacum de Escobar, è fluvio Para- nensi conscripta, dum Visitationi Reductionum nostrarum vacaret. Inueni (inquit) istas Indorum Reductiones Societatis IESV laboribus prope infinitis partas, earum Tempia, & diuinum cultum adeo firmum & constantem, tantoque cum splen- dore, quantum videre est in Ciuitatibus antiquis frequenti populo, omnique politia Christiana conspicuis: multam or- namentorum sacrorum, sacrarum Imaginum, sacrariorum, ædituorum, Cantorum, & omnis generis musicorum instru- mentorum supellectilem admiratus sum: sed in primis hos Neophytos tam belle institutos, pios, diuino & Regio ob- sequio adedò addictos, tam absque querela, molestia, & vexa- tione vlla, vt nihil vltra desiderari possit. Ceterum quod ad arma attinet iudico magni momenti esse, quod actum est, & agitur pro propria, & necessaria defensione Regiæ ditionis huius, aduersus excursiones, & impetus Lusitanorum, seu Brasiliensium ex oppido sancti Pauli. Sunt etenim isti Indi in omni armorum genere, tum Sagittarum, tum catapultarum  
vsa

*Commen-  
dantur Re-  
ductiones  
Paraqua-  
riae.*

*Ex labori-  
bus prope  
infinitis.*

*Ex Tem-  
plorum  
ornatu: &  
Musicorum  
cantu.*

*Ex Indo-  
rum subie-  
ctione Deo,  
& Regi.*

vsu exercitatissimi: nimirum (præterquam quod id omnino expedit aduersus frequentes hostium aggressiones, & ad præsidium horum limitum Castellani Imperij) eos habemus semper Tu, & Ego paratissimos ad omnes occasiones, quæ possunt occurrere Regij seruitij. Pro certo Tibi, Domine mi, asseuero, Te maxima voluptate afficiendum, si has Reductiones inuiseris, earumque splendorem inter hæc deserta, & remotissima nemora lustraueris; mihi certe videntur Elisium beatæ, ac fortunatæ Insulæ, imo & Gloria Paradisi, &c. Hæc ille in Memoriali ad Philipp. IV. Matriti typis mandato per P. Iulianum de Pedraza ann. 1657. pro Prouincia Paraquaria, fol. 101.

*Sunt velut  
Elisij Cam-  
pi, & gloria  
Paradisi.*



CLASSIS VIII.  
AB VRBIBVS.

1. **A**PANORMITANA, Cuius Prætor, ac Iuratorum Magistratus, hac inter alia prodidit in Sociorū, & Societatis præclarum testimonium, à quibusdam calumnijs vindicantes. Scimus, & intrepide fatemur Sanctissimis horum Patrum institutis, doctrina, & pietate plurimos apud nos quotidie, & in scientijs & in spiritu proficere, nec vnquam ab structo eorum Collegio aliquam vel minimam criminis suspicionem subortam fuisse; quin plura eorum opera huic Ciuitati emolumenta accessisse; vt nulli dubium sit eos verè in Societatem IESV esse adscitos: vnde & hoc nomine merito in hac vita nuncupantur. Quæ omnia cum ita se habeant, nostra omnium auctoritate, ac fide publicè testamur, hos Patres nunquam hîc, quæ sibi vulgo adscribuntur, criminibus fuisse adstrictos. Et si qui sunt, qui hanc conceperint opinionem, posthac deponant, aut sibi certò Religioni vertant, quod tantorum Patrum nomini tam facile detrahant; nec illum Sacerdotem in illorum vnquam Societatem admissum fuisse existiment. (*Is erat Presbyter quidam à Nostris habitu non dissimilis, qui ob sæda, & impia scelera exustus, & per errorem vulgus, per malevolentiam iniqui insaniam in nos vertebant.*) Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num. 111.

Testimonium egregium de Societatis innocentia

2. **A**MAMERTINA: Quæ postquam fidem fecit, Ioannello (hoc erat prædicti Sacerdotis exusti nomen) nihil cum Societate commercij fuisse, & Patres non modo à culpâ, sed etiam ab omni suspitione omnino abesse, subiicit: Quin etiam verè affirmare possumus, atque apud omnes liberè testificari ab exstructo Collegio nunquam quidquam de illorum vita, moribus, & doctrina auditum apud nos esse, quod non ad Omnipotentis Dei laudem, & nostratum hominum ædificationem maximè per-

Aliud.

Quanto fructu in cõcionibus, confessionibus, & iuuentutis educatione Socij occupentur.

Aaa

tine-

*Eorum vi-  
ta, quam  
casta, &  
incorrupta,*

tineret. Scimus eos habendis concionibus, confessionibus audiendis, iuuentute literis & moribus instruenda, sacris literis publicè interpretandis, docenda Christiana disciplinâ, ægrotis ac vinētis inuisendis, alijsque id genus operibus, nec id modico Ciuitatis fructu & gaudio, assiduè occupari. Vitam vero ita castam, & incorruptam ab illis agi, vt exemplo non minus, quàm eruditione, & institutione profint. Quo factum est, vt magnam probitatis, ac doctrinæ famam, & obtinuerint hætenus apud nostrates homines, & nunc quoque retineant. Quæ cum ita sint, oramus si qui sunt, qui falso illi rumori fidem adhibuerint, eam opinionem longe abijciant, & quam de huius Societatis IESV Patribus existimationem benè conceperant, eam liberè, ac tuto conferuent. Sic *Ibid. num. 112.*

*Participa-  
tio honorum  
spiritua-  
lium Socie-  
tatis, ex-  
petita.*

3. A BARCINONENSI: *Quæ erga nostrum Ordinem se egregie piam semper, atque benignam præbuit: præque ceteris pignoribus illud à Concilio Regio præbitum est. Misere hominem ad Collegium, qui aliquantum pecunie elemosynæ nomine deferens totius Consilij verbis diceret, Cognouisse ipsos quàm utilis in publicum Sociorum opera esset, ac rogare, vt ab Generali Præposito vicissim communicationem benefactorum Societatis, ipsis impetrarent. Cui voluntati satisfieri in omnes partes non potuit. Responsum est enim quomodo alijs quoque idem petentibus respondebatur: id doni non vniversè Corpori ciuium, sed hominibus viritim solere concedi. Hæc *Ibid. lib. 5. num. 52.**

*Et funda-  
tio Collegij  
Vallis Tel-  
lina anxie  
precata.*

4. A PONTANENSI, Cuius Legati in Conuentu Grisonum pro Collegio in Valle Tellina fundando, hæc inter alia, eius nomine, verba dedere. Etenim (*inquiunt*) si rectè animaduertimus, quæ res cuius bene Instituto hominum Cætui maximè necessaria est, ea nos laboramus maxime, liberùm Institutione. Quippe non eas colimus terras, ad quas vel locorum amænitates, vel lucri magnitudo, vel nominis, & famæ cupido idoneos Magistros alliciat. Inde sobolem nostram haud prope aliter, quàm suos belluæ partus, educamus; cibum modo  
eis,

eis, potionemque, per quæ inertia nutriantur corpora, subministrantes. Inde in domibus priuatim vitia, inopia, inhumanitas abundat: publicè in oppidis nulla est sapientia, nullus splendor, humanitatis parua vestigia. Quæ peruidens mala vir altissimæ mentis, parisque Charitatis nolter Eques (*is erat Marcus Antonius Quadrus Pontanorum Curio*) quoniam progeniem natura illi negarat, viam excogitauit, per quam melius fieret Pater, perpetuamque patriæ bonorum procrearet sobolem. Magistros accersiuit, & alimenta de suis facultatibus attribuit: vt, dum sapientum copia Præceptorum domi est, opportunitate locupletes vtantur, tenuiores consulant necessitati: & Magistri, dum liberalitate eius affatim, vnde se tueantur adepti, non lucra ex priuatis petunt, neminem reiiciunt pauperem, nemini ditiorum indulgent. Quæ si omnia Quadrurum erudiendis duntaxat liberis tradidisset, simul tamen Magistros conquirendi eisdem aduocandique, vt filios peregre ad disciplinam mittendi negotium reliquisset; quanto id beneficium minus foret? At ille, quo gratiam, quàm cumulatissimam conferret, omni in perpetuum vacuos, solutosque cura esse voluit. Magistros ipsemet studiosissimè conquisiuit, cunctis auctoritatis suæ opibus vt aduocaret, contendit; denique aduocauit, quorum nec dubia facultas, nec caduca, aut interitura vnquam disciplina esset. Etenim ex eo Ordine sunt, qui in dies vegetius sese propagans, facile poterit in Præceptorū senescentium & cadentium locum sine curâ nostrâ sufficere nouos, ijdemque sunt, qui Viennæ, qui Pragæ, qui Ingolstadij, Monachij, Treuiris, Colonia: in Gallijs, in Italia, Sicilia, Hispania, Lusitania, denique in India cum opinione excellentis sapientiæ docent. Hos vt liceat nobis retinere, vt Equitis iudicium honestissimi, & amantissimi patriæ viri comprobare suffragio vestro velitis, suppliciter, Domini, petimus. Ne permittite per Deum immortalem, vt pæniteat nos patres esse: vt natio nostra siluescat in dies atque efferetur magis, atque adeo extingatur.

*Ad optimam iuuentutis indoctrinam, & moribus educationem.*

guatur. Ut quid enim, si instituere fas non est suscipiamus liberos? pecudumne ut gregem pro familia educemus? Ne finite inopum misero apud nos gregi, omni alia destituto, hanc incidi spem, hoc patrimonium surripi. Ne dolorem hunc ætati supremæ, ne labem hanc clarissimo nomini Equitis vobis addictissimi, vestrique obseruantissimi inurite: ut qua in re ab ceteris omnibus summam consecutus est laudem, condemnetur à vobis. Omnes circa nationes, Resque publicæ, ac Principes ad hoc iudicium intendere oculos, & exitum rei expectant, ij maximè, qui & à nobis, & celebri fama rem edocti, plurimum spei in sua apud vos commendatione iusserunt reponere: nec fore villo modo timent, ut sua auctoritas vilis vobis sit, & quasi iniqui patrocini notentur. Omnes hoc dicunt, nisi sint inter vos, qui ad infamiam vniuersi conuentus partem eius hereditatis cum aduersarijs patiti sint, nihil esse nobis timendum. Videte vtrum magis grauitatem vestram deceat tot maximos demereri Principes, Equiti existimationem conseruare, nostrorum liberorum misereri; an quod patriæ nostræ, quod pupillis, ac destitutis ad salutem ac decus donatum est, cum summa vestri nominis (quod nunquam Deus sinat) ignominia, hominis vnius, aut alteritis iniquissimæ cupiditati prodere. Agite igitur, præstantissimi Domini, longe lateque celebratam constantiæ vestræ & grauitatis famam cum salute dignitateque nostra conseruate. Id à vobis summo studio Christianissimus Galliæ Rex contendit (*hæc cum dicerent commendatitias proferebant literas*) id Ferdinandus Cæsar, id Maximilianus Bohemiæ Rex, id Albertus vtriusque Bauariæ Dux, id Heluetiorum Respublica, id Prætor Mediolanensis, id nostra omnis patria ad Vestros abiecta pedes supplex rogat; id nostri liberi, atque adeo nepotes nostri, & cuncta posteritas comprecatur. Si licuerit huc accedere, ipsos hîc pueros, ipsas matres familias, Vniuersos Vallis Vestræ populos, & totam viciniam videretis, ad vestra genua prouolutos, vobis tendentes supplices manus.

manus. Experti enim sumus benignissimi Domini, quas habeat vires recta institutio; quæ sit horum hominum doctrina, & facultas. Paucis apud nos fuere mensibus, & iam pueri nostri alij sunt, longe quam ante modestiores, domi, ac foris quietiores, maiorum obseruantiores, suis longe magis obsequentes, longeque magis cum laudis, tum literarum amantes. Nos æquitate causæ, Equitis Quadri sapientia, eius facti gloria, ad hæc iustitia, & benignitate Vestra freti, quas hanc ob rem subiimus vel ærumnas, vel impensas recte arbitramur positas; vt in tanto beneficio, & Quadri, quod primum contulerit; & Vestrum omnium, quod restitueritis, ex æquo apud nos, nostrosque posteros memoria immortalis viuat.

*Hæc Pontanensis Ciuitas per Legatos suos in Societatis, & Sociorum commendationem immortalis: In Eadem Par.2. Hist. Soc. lib. 5. à num.99.*

5. A BILLOMENSI: *qua tota cum Consulibus ita ex animo Collegium apud se habere desiderabant, vt dimissis per Auerniam omnem probatis viris, testimonia multa de probitate hominum Societatis, quamque utiles, atque adeo necessarij forent, conquisierint, que tredecim è præcipuis Auernorum Ciuitatibus luculenta, & plena ingentium laudum scripta protulere. Addiderunt disertè nobiles, Nisi Rex vellet omnes Auernos vel Hæreticos fieri, vel inscitia obrui, necessarium esse, Societatem admitti. Dum autem ad Cardinales Lotharingum, atque Turnonium supplicem super ea re libellū Billomiei deferrent, lumina illa, & propugnacula Ecclesie Gallicana letissimè accepto libello addidisse Orationē talem feruntur. O vos Beatos, quos diuina Maiestas temporibus his horum Virorum dono dignata est! Tenete vos quibus concessum est. Amplexamini Sodalitatem hanc Iesu Christi, & vestigijs eius ac monitis inhærete. Nos, & vestronomine, & pro officio nostro dabimus operam, vt Gallia tanto Dei munere nequam priuetur. Ita Ibid. lib.5. num.195.*

*Societas maxime necessaria, ne multi, vel inscitia, vel heresi obruantur.*

*Illam frui pro Dei munere habendum.*

6. AB ASCVLANA. *In agro Piceno Ciuitate celebri, celeberrimum extat Testimonium, datum anno 1613. Kalendis Octobris ad Pau.V.*



Ex eius  
presentia  
apud Aseu-  
lum in me-  
lius omnis  
etatis mu-  
tati mores.

*Pontificem Maximum, in quo de Sociis Aseulum sententiam dicit, publicam Verius, quam suam, & sic loquitur.* Beatissime Pater, si Vestra Beatitudo posset videre mutationem morum, quæ in nostra Ciuitate facta est, postquam ad nos venerunt Patres Societatis IESV, ipsummet Aseulum non amplius agnosceret. Senes antiqua odia posuerunt, iuniores nouas amicitias inierunt, gladijs & pugionibus precarij libri atque Coronæ successerunt, & sanguis discordiarum conuersus est in lachrymas pænitentium. Vbi antea ociosi hominum Conuentus fora occupabant, nunc pie celebrant Ecclesias, & Institutas à Patribus Congregationes frequentant: in quibus qui antea odio dissidebant, amicè conueniunt, & mutuis humanitatis, Charitatisque Officijs inter se certant: vt non recenter in gratiam rediisse, sed vera, ac diuturna amicitia coniuncti fuisse videantur. Illa quoque sunt admiratione digna; obedientia filiorum in Parentes, parentum amor in liberos. Quæ omnia, vt noua apud nos agnoscimus, sic ea Patrum educationi, assiduoque labori grati accepta referimus, & hic humi postrati, &c. anno 1613, die 1. Octobris. *Sic in Imag. 1. sec. Soc. lib. 5. cap. 7. fol. 670.*

Liberatur à  
maledicen-  
tium fabu-  
lis.

Vni ani-  
marum lu-  
cro acerri-  
mè inten-  
ta est.

Magnum  
habet apud  
summos vi-  
ros existi-  
mationem.

7. A NESVIENSI, *Quæ à maledicentium fabulis sequenti Testimonio Nostros liberauit.* Aliud sane (inquit) loquitur res, aliud rumor. Persualum nobis erat, magnificis Iesuitas al-fuetos curribus, equorumque ministerio in itineribus decur-rendis vti, semper consueuisse: sed oculi profecto nostri longe iam vident alios pedites, nullo viatico instructos, magnis incommodis fatigatos, vni animarum lucro acerri-mè intentos. *Sic in Annal Soc. ann. 1610. fol. 453.*

8. A COMMOTOVIENSI, *Cuius legati (in renouatione Senatus facta mense Martio) cum duos Catholicos substituisent, grauissimè omnes admonuerunt, ne quid in nos attentarent: Societatis homines eos esse, qui cum alibi magnam apud summos viros haberent existimationem, Commotouij non debere premi, aut contemni.* *Hæc Ibid. fol. 334.*

9. A PLACIENSI In Prouincia Sicula, que cum animorum fructum experiretur, & pristinam disciplinam per nostros suauiter restitui animaduerneret, eam erga nos admirationem ac beneuolentiam concepit, ut in ea verba, per totas ades eius Ciues prorumperent, ac clamarent, Sedentibus in tenebris, & in umbra mortis lux orta est nobis: Viros item Societatis, Christi Apostolos, Paradisi Angelos, appellarent. Ita in *Annal. Soc. ann. 1602. fol. 33.*

Eius filij sedentibus in tenebris, & umbra mortis lux sunt.

Christi Apostoli, & Angeli Paradisi nuncupantur.

10. A CATANZARENSI in Regno Neapol. vbi Collegium erat vulgo pergratum, & fructuosum, difficultas tamen nostros angebat, vnde nam victui necessaria possent comparari, quod vbi rescijt Ciuitatis Concilium, communi omnium consensu, Se, vel filios, si opus foret in alimenta Collegij vendituros, nobis illico testatum esse voluerunt: quatuorque e suo delectis Corpore remedij curam delegant. Sic Par. 4. *Hist. Soc. lib. 5. n. 56.*

Ne ipsis alimenta deficiant vel filios se vendituros Catanzarense affirment.

II. A LVCERNENSI, Cum Schulteto Prætre, maiori item, minorique Concilio prolixa ad Euerardum Epistola, in qua præfati summum dolorem inde haustum, quod audissent, Patres Lucerna reuocandos, subiiciunt, A se nequaquam eo Consilio accersitos, vt vnquam dimitterent. Nam id (inquunt) non modo ingens nobis detrimentum, verum etiam probrum afferret, tum apud Hæreticos circumiectos, qui gauderent Antesignanos veræ fidei, & satores Germanæ doctrinæ, quæ ipsi maximè horrent, à nobis amissos: tum apud fæderatos nostros, qui dolerent nos tanto præsidio spoliatos. Et sane cum hæc veneranda Sodalitas Instituta sit ad sustinendam, ac propagandam religionem Catholicam, pietatemque amplificandam: nosque hac re non minus, quam alij indigeamus: speramus non magis nobis, quam alijs denegatum iri auxilium: cum parati simus ijsdem, & fortè amplioribus, quam alij, eam Officijs profequi. Nam quam vberem hic habeat materiam, id quod intendit consequendi, compertum est hoc breui missionis tempore, quo fructus tam singularis apud lenes æquè ac iuuenes partus est. Nos vero (quod sine iactantia dictum sit) ij semper fuimus, sumusque hodie qui Catholicam fidem

Litera in Sociorum commendationem.

Sunt veræ fidei antesignani, & satores Germanæ doctrinæ.

Societas instructa ad sustinendam, & propagandam Catholicam Religionem.

Missionum fructus singularis.

defen-

defendimus, adducta in discrimen dignitate, re, vita, & sanguine: neque id solum in patria nostra, sed ubicumq; nostra opera expectatur: parati id vel cumulatus in posterum, iuvante Deo, præstare. Æquum igitur est, ut qui religiosis laboribus summe contendunt, ut sustineant, & amplificent veram fidem, pietatemque Christianam, adsint nobis, qui idem profitemur, & efficitur armis, vitæque periculo. Et quamvis, Deo gratia, usque adhuc in fide nulla appareat imminutio apud nos, tamen (quod Deus ignoscat) excepto hoc, multa, & varia crimina, scandala, pravi usus, erroresque increbuerunt: ut nisi mature succurratur; verendum sit, ne quod alijs in locis fieri videmus, medicina sera sit. Etenim ea sumus opinione, quemadmodum conciones, & cetera spiritualia officia non possunt magni esse momenti ad conservationem, incrementumque publicæ pietatis, nisi auxilium sæcularis potestatis accedat; ita diligentiam civilem, & secularem perseverare diu non posse in conservando Religionis cultu incorrupto, nisi doctos, sinceros rectique exempli nanciscatur Magistratos. Super hæc permagni nobis momenti est nostram iuventutem in bonis artibus, ac præcipuè in vita, ac deuotione Christiana recte institui, idque si consequi domi possent; ex usu foret non privato solum, sed etiam publico, quod his careret vitijs, quæ sæpe ex Regionibus exteris reportantur. Cuius specimen fructus iam nos summo cum gaudio nostro, exigua huius Missionis usura experti sumus. Obstabit fortasse perlatus ad Tuam Paternitatem rumor de nostri Cali insalubritate. Ceterum certus esto plane experimento compertum, qui aliquamdiu patriæ huius ingenio, cibisque insueverit; si non commodiore, certe nihilominus commoda, quam ubiuis locorum valetudine uti. Itaque quidquid in nobis est prolixè, sincère, fideliter, sine omni fuce, & fallacia promittentes, Paternitatem Tuam etiam atque etiam precamur, ut primo quoque tempore aliquod nobis subsidium mittat. Nam, cognita Operariorum paucitate Vestrorum,

*Et Institutionis puerorum.*

strorum, nolumus incommodo esse plenam simul Coloniam postulando. Hanc vero tam insignem benevolentiam, dignationem, & officiosum obsequium, quod nobis Societas, vt indubie expectamus, exhibebit, vna cum ijs meritis, quæ adhuc contulit, pro singulari beneficio in omnem æternitatem colemus: paratissimi cunctis viribus nostris promouere, atque amplificare commoda eius, dignitatemque: nosque ipsos impendere in quemcumque vsu, vbi Paternitati Tuæ, Societatiue communiter, aut priuatim honori, aut commodo esse possimus: non curæ, non labori, non facultatibus, non corporibus nostris parcentes: de qua re nihil Paternitatem Tuam volumus dubitare. Has ob res, & quia singularem tuam erga nos propensionem iam pridem nouimus; expectamus cum gaudio benignum votisque nostris consentaneum responsum. Vale. Ex nostro pleno concilio huius rei causa coacto, decimo septimo Kalendas Februarij, Hucusque Lucernensis Ciuitatis litera ad Euerardum, plena quidem amoris, plena charitatis, & existimationis erga Socios, & Societatem: & habentur in eadem Par. 4. Hist. Soc. lib. 5. num. 105.

Anxie ex-  
petitur à  
Generalē  
Lucernense  
Collegium

12. A MAGNA CANARIA Quæ quantum fecerit pro retinendo P. Iacobo Lopio vix credi potest. Is enim adeo salutaris, charusque Insularis erat, vt ad alias Insulas digredi non pateretur. Proepiscopus Obedientiæ præcepto vetuit proficisci, maiore opinor piæ voluntatis studio, quam legitima iure potestatis. Senatus vterque pro se Sacer ac laicus, itemque Regij Magistratus vltima suppliciorum decreuerunt ijs, qui auhere, aut in nauim recipere ausi essent. Tum communiter ad Prouincialem Bæticæ ita scribunt. Bartholomæo Turriano Parente, atq; Pastore optimo orbatis Canariensibus, quidquid solatij residuum fuit, in vna fuisse Patris Iacobi Lopij doctrina. Nam reuera postquam ille venerit, mores supra modum correctos, tantumque profecisse vidimus, vt ad reuocationis eius nuntium vehementer omnes ingemuērunt: probè intelligentes, quanta cuiusque res agatur. Itaque conuicio se omnium compulso frequens habuisse consilium, & quam

Canarien-  
ses quan-  
tum pro  
retinendo  
P. Lopio  
certarint?

Eius præ-  
sentia quæ  
vtilis ijs  
Insularis.



uis Pater cum multum lachrymarum, tum obedientiæ sibi deuotam Religionem opponeret, tamen omnino retinuisse, dum ipse Prouincialis, atque etiam Generalis clamores omnium Ordinum, & querimoniam cognoscerent, dolentium tantum sibi à Deo concessum boni, prope per iniuriam rapi. Nam si ad Indos, & ad alias longe abiectas gentes Catechistas mitterent, omnino scirent necessitatem apud se leuiorem non esse: neque quidquam ab se commissum, quare post alias haberi gentes deberent, & sacerdote iam sibi tradito spoliarentur potius, quàm submissis alijs iuuarentur. Itaque ergo Christi IESV Verbis, ac nomine orare Prouincialem, tantum indulgeat spatij, dum Præpositus Generalis probe cognita causa, quid fieri velit, decernat. Confidere enim iustissima vota non repulsurum, Episcopumque nouum, à quo Collegium perficeretur, se propediem habituros. *Hæc in Bæticam, Romamque scripta fuere à Magna Canariensi Cunitate, ut refertur Par. 3. Hist. Soc. lib. 5. num. 184. & 185.*



## CLASSIS IX.

## AB VNIVERSITATIBVS.

I. **A**LOVANIENSI; *Cum ageretur de stabilienda, continendaque in Belgio Societate. Sed quoniam Prouincias illas pro Carolo tum soror administrabat Regina Maria, visum est femina prudentissima super eam rem Louaniensis Academiae Consilium exquirere: datumque ab Academia grauissimum, & honestissimum Societatis est testimonium, quod ex ipsis Academiae monumentis, cum eadem causa acius urgeretur in hac verba depromptum est.* Adrianus Academiae Louaniensis de Societate iudicium, eiusque Instituto. Cornelij de Brouuors Kauen artium Magister, & Sacrae Theologiae Professor almae Vniuersitatis studij generalis operidi Louaniensis, Leodiensis Diocesis Rector, Iudex Ordinarium omnium, & singulorum membrorum, Scholarium, & suppositorum eiusdem à sancta Sede Apostolica, quod notorium esse denoscitur, specialiter deputatus, vniuersis, & singulis praesentes literas inspecturis, lecturis pariter, & audituris notum facimus, & praesentibus attestamur, quod quidem à Serenissima D. Maria Regina Vidua Vngariae, & Boemiae Sacrae Caesareae Maiestatis in Germania inferiore locum tenente, facultas Sacrae Theologiae antedictae Vniuersitatis requisita, vt Bullas, & Priuilegia Societatis IESV examinaret; & quid sibi de illius Instituto videretur, referret. Eiusdem Bullis, & Priuilegijs maturè visis, examinatis, & discussis: Quo nihil toti Ecclesiae, & Germania expeditius, & vtilius. consideratis quoque moribus, & conuersatione eorum, qui de dicta Societate pluribus annis magno cum fructu, & aedificatione Christi fidelium egerunt, respondit eidem Serenissimae Reginae, eorum Institutum pium, & sanctum fore, & nihil in eorum Priuilegijs, Bullis, moribus, ac conuersatione inueniri; quod toti Ecclesiae, & inferiori Germaniae non sit

Bbb 2

expedi-

expeditius, & vtile. Et quia hæc sic esse cognoscimus, & testimonium veritati exhibere merito debemus, idcirco in præmissorum fidem, & testimonium præsentis nostras literas excudi fieri, & per Notarium publicum subscribi; sigillique Rectoratus dictæ Vniuersitatis iussimus & fecimus appensione communiri. Dat. Louanij anno à Natiuitate 1556. Secunda Ianuarij. Sic Par. 1. Hist. Soc. lib. 10. n. 105.

2. A PARIENSI SORBONICA, Cuius Vniuersitatis Doctores aliqui ubi legissent Olauij nostri dissertationem, seu Orationem pro Societate, quanquam piam magis, quam fortem dicebant; neque tam probari decretum ipsorum falsum, quam Societatis homines innocentes: quasi verò possit esse noxia Schola, que discipulos creat innocios: plurimi tamen fatebantur, Nunquam ita fuisse decreturos (exilium scilicet Societatis à Gallia) si talia cognouissent. Nec quicquam postea mouerunt, imò quadragesimo post anno, in grauissimis temporibus, procellisque, quibus iactabatur in eo Regno Societas, pronunciauit Facultas Theologica, retinendam eam esse in Gallia. Tantum aberat, vt iam prioris sententiæ, qua perniciosam pronunciauerat, meminisset. Ita Ibid. lib. 15. n. 62.

Doctorem  
Parisen-  
sium longo  
post tempo-  
re senten-  
tia pro So-  
cietate.

Que hono-  
ratur ex  
filijs.

3. AB INGOLSTADIENSI, Cuius Cancellarius Doctoresque omnes, de Societate, cuius in tribus omnino hominibus ipsa penitus Instituta perspexerant, ita denique censuerunt. Nuper quantam lætitiã ceperimus omnes ex aduentu trium Theologorum Claudij Iaij, Alfonsi Salmeronis, & Petri Canisij, vix dici potest: quorum præsentia non solum famam de ipsis excitatam non minuit, sed etiam auget: quorum singularis in Sacrosanctis studijs scientia, tum in omnibus disciplinis exercitatio, postremo sanctimonia vitæ expectationem omnium, eamque maximam, non solum æquat, verum etiam superat. Hæc apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 670.

Ij pietatis,  
ac doctrinæ  
antesigna-  
ni, & Ec-  
clesiæ Chri-  
stianæ vera  
columnina.

4. A BURDEGALENSI Appellante Societatis Patres, Pietatis, & doctrinæ Antesignanos, & vera Ecclesiæ Christianæ Columnina. Ita in Annal. Soc. ann. 1604. fol. 418. Omittere sane non potui hoc breue quidem, sed Illustre encomium: non leue id quidem,

quidem, sed ad longissimam Societatis commendationem sensu, & verbo benignissimè comparatum.

5. \* A CONIMBRICENSI: *Que cum à Serenissimo Ioan. III. Portugallie Rege fuisset interrogata, quid de Societatis hominibus sentiret, perhonorificum, satisq; longum dedit testimoniū: quod inter alia multa sic se habet. Primo testatur Vniuersitas, Societatis homines virtuti deditos, modestos, humiles, deuotos, ac de Republica Christiana benemerentes, exemplo vitæ splendentes. Testatur insuper non tantum Conimbricæ Ciuitati, sed toti Regno magnos, & vberes fructus ex vita, exemplo, ac salutari huius Societatis doctrina peruenisse: Africam, & Indiam summa velocitate eius filios percurrisse, vbi illi sua exemplari vita, ac ædificatione virtutes plantant, vitia extirpant. Ob quæ (et alia multa, quæ ibi referuntur) sentit, ac testatur Vniuersitas hanc Societatem honore summo recipiendam, omnique veneratione fouendam, vtpote quæ miraculosè Instituta est, à Deoque Orbi Vniuerso tam calamitosi temporibus concessa, &c. Hoc fuit doctissima Vniuersitatis de socijs, ac Societate iudicium: quod Lusitano idiomate satisque diffuso habetur apud P. Tellez in Chronico Hist. Soc. Lusitane Par. 2. lib. 6. fol. 16.*

Perhonorificum de illis testimonium.



Ioannes  
Avila ma-  
gnus virtu-  
tis Magi-  
ster Socie-  
tatis per-  
studiosus,  
& com-  
mendator.

Illam est Dei  
donum ac  
munus o-  
pusque di-  
vina sa-  
pientia.

Laboribus  
exercita, ut  
Christi ve-  
stigijs infi-  
stat.

I. **A** IOANNE AVILA Apostolo Bætico, & Societatis' persua-  
dioso commendatore. Hunc S.P. Ignatius edocendum puta-  
vit de Salmanticensibus turbis, quidque ipse providendum contra cen-  
suisset, ut fama sui Ordinis, quæ necessaria est causas animarum tra-  
stantibus, integræ servaretur. Quibus literis vir tantus peraman-  
ter, & officiose rescripsit. Dei Donum, & Munus prædicans,  
quod sibi ab ipso iam inde Societatis ortu intelligere, ac sen-  
tire datum esset, id manifestum diuinæ Sapientiæ Opus esse,  
magnamque eius, cum in eos, qui Societati se adijcerent,  
tum in ceteros, qui per eam in virtute erant profecturi mise-  
ricordiam, atque clementiam. Hec ille 1. Par. Hist. Soc. lib. 9.  
num. 59. Et num. 60. probavit consilium B. Patris. Ut ab Sede A-  
postolica præsidium aduersus eos, qui diuino Operi se oppo-  
nerent, peteretur, quo eorum frænarentur ora, qui sermoni-  
bus suis, siue recta ex mente profectis, siue peruersa, in su-  
spicionem illud vocarent. Verumtamen nunquam post con-  
ditum Orbem, non fuisse virtutem, quæ exerceretur, ac vi-  
tium quod exerceret. Nec tam cælesti Domino placere famu-  
los suos rebus præclare gerendis, quam aduersis alacriter, &  
cum fiducia perferendis. Atque alioqui verus à simulato ser-  
uus, quo internoscetur, inquit, nisi præsto sit, quasi lapis Ly-  
dius, infectatio? Aquila pullos suos obiectu Solis explorat,  
metalla Argentarij corticula, Christus famulos suos receptibi-  
les camino humiliationis. Deniq; qua via Caput præcessit, hac  
subsequendū est membris. Quæ ideo libenter commemoro,  
quia

quia re ipsa in hac Sancta Societate fieri confido. Hæc, & id genus multa ad Ignatium Auila. Et ibidem num.61. tam præclare de hoc Ordine sentiebat, & loquebatur, ut affirmaret, Nihil se tam dolere, quam quod per ætatem, & valetudinem ei se se adiungere cum eius vflu, fructuque non posset. Discipulos tamen suos ad illum, quotquot posset, summa voluntate missurum.

Dolet Auila sibi non esse atque Societati idoneam, mittit tamen ad eam discipulos suos.

AB EODEM: Qui agens Corduba cum alumnis sue disciplina, qui simul nostros in ea Vrbe conspexit, pro qua re egregie laborarat magnitudinis gaudij elatus in Canticum Simeonis erupit, Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 13. num.42. Et cum Natalis noster Iacobum Guzmanum, & Gasparem Loartem sue disciplinae Viros, Societati adscribendos secum in Italiam duceret; aliqua vir magnus Auila monita profecturis dedit, quæ his verbis auspiciatus est. Quoniam ad eam Societatem acceditis, quæ subleuandis animis tota versatur, ante omnia proponite, & perluadete vobis, vestrum id esse vnum fouere, atque alere voluntatem de omnibus benemerendi, & precibus apud Deum de salute omnium esse sollicitos, &c. Ibidem lib.

Eiusdem gratulatio de Collegio Cordubensi. Luc.2.29.

Societas in subleuandis animis tota versatur.

14. num.57.

AB EODEM: Qui (teste Michaelè Turriano) literis ad B. Ignatium) tam ex animo complectebatur, & excipiebat spiritum Societatis, & cuncta eius Instituta, ut diceret; Id se facere naturali quadam quasi proprii amoris illecebra, quod omnia plane congruebant cum ea forma, quam in animo suo ipse descripserat: id esse quod suo in spiritu sentiebat, ac sentit. Verum se Paranympum instar Ioannis fuisse, & gaudio gaudere propter sponsum. Nec aliter sibi contigisse, atque si puer conetur lapidem ingentem attollere, qui dum præ virium infirmitate rem nunquam perficit, vir superueniens robustus, pro virium magnitudine nullo negotio tollit, suoque loco aptè constituit. Quo simili vir modestissimus se ipsum paruulum cum viro valido ac Gigants conferebat Ignatio. Ita Ibid. num.60. Quis tandem, tale conceperat de Societate iudicium, quod non possit contineri.

In eam 100 annis Auile amor, & estimatio. Luc.1.17.

Quanta sit  
felicitas  
illius Col-  
legium ha-  
bere.

tineri, quin exclamaret, Felicem plane Montellam, cui Collegium habere Societatis contigisset: publicos seruos esse homines Societatis: atque adeo apud se ita quemque statuere debere, totidem se raræ fidei solertiæque mancipia videre sua, quot ex ea viros videret. *Hæc ille Par. 2. Hist. Soc. lib. 5. num. 59.*

2. A RVARDO TAPPERO Louaniensis Academiae Cancellario dignissimo, qui dum P. Adriani ab Adriano solemnem professionem excepit, egregium Societati testimonium edidit: thesique posita ex Euangelio S. Ioannis, Mandatum nouum do vobis, vt diligentis inuicem, sicut & ego dilexi vos, ad frequentissimam multitudinem sic exorsus est. In lege veteri carnalibus, rudibusque Iudæis mandatum fuit, diliges proximum tuum, sicut teipsum: hoc vero nouo Christi mandato quemadmodum S. Cyrillus exponit, iubentur discipuli diligere proximum supra se ipsos, nempe sicut Christus dilexit nos. Idque est quod hæc sancta, & noua IESV Societas studet, hoc eius filijs propositum est, ex hoc nouo Christi mandato nihil Charitate fraterna prius habere, sui nullam rationem ducere, se ipsos exinanire, totos se ad Dei honorem & salutem proximorum effundere, quemuis laborem, quoduis discrimen subire, denique vitam ipsam pro Christo, & animarum salute contemnere. Nouus inauditique charitatis modus, quem Christus Dominus transiturus ex hoc mundo ad Patrem, commendauit suis. Hoc itaque nouum mandatum pro fundamento & radice Sancta hæc Societas habet. Qui enim ei se mancipant, non vni cuiquam, vt aliæ Religiosæ Familiæ, charitatis officio se dedicant, sed plane omnibus, ad quascumque terrarum oras mittantur. Quod quidem adeo præstans, & sanctum est, vt omnem superare intelligentiam videatur: mirumque non sit, si hæc Sancta Societas cognoscatur à paucis. Quæ meritò plane sanctissimo IESV Nomine appellatur, non vt quidam peruersè dicunt, quasi alij sint de Societate Diaboli: sed quia Dominum IESVM, eiusque Apostolos præ-

Ioan. 13.  
34.

Matth. 22  
39.

Sancta &  
noua IESV  
Societas.

Ioan. 13. 1  
In dilectio-  
nis manda-  
to radicata.

A IESV  
nominatur,  
quia Iesum  
& Aposto-  
los secta-  
tur.

præstantissimo modo sectatur. *Hæc cum dixisset, explicassetque, quam esset ritè auctoritate Apostolica comprobata, contestans à se Diplomata, & Instituta eius, & spiritualia Exercitia accurate perspecta; etiam quæ pertinent ad communem eius in victu, cultuque rationem, vitæ excellentissimæ docuit inferuire. Deinde singularem præstantiam in Paupertate, quod Professus non modo nihil in commune possidere, sed ne pro Sacrificijs quidem, & alijs ministerijs, quicquam fas esset accipere; tum in Obedientia demonstravit, quod se ad quamcumque professionem, siue ad Turcas, siue ad Indos deuoueret. Denique etiam sapientissime, & summa charitate factum, ut teneræ ætatis institutio in rudimentis Christianæ rei corrigendæ fundamentum: eoque pacto non in alijs modo regionibus, sed etiam in Indijs, & in Æthiopia plurimum iam esset profectum. Quibus ex omnibus rebus colligens, nihil mirum videri, si talia profitenti Ordini pro Satanæ odio, & inuidia multiexterent aduersarij, quanquam se, aiebat, credere plerosque ex incitiam aduersarij, moxque veritate cognita studia mutatu-  
ros, magno cum auditorum motu orationem conclusit. Sic Par. 1. Hist. Soc. lib. 11. num. 43.*

Commen-  
datur eius  
Institutijs

Paupertas;  
obedientia,  
& cura in  
puerorum  
educatione.

Aduersata  
ex Satanæ  
odio, &  
inuidia.

AB EODEM: *Qui, ut erat alta mente vir, & prouidus futu-  
rorum, aduentantes nostros Louanij toto complexus pectore, cum graui  
gemitu exclamauit. Venistis serius, ô Patres, serius venistis. Ita  
apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. cap. 3. fol. 768. Et postea cap. 5. fol. 886.  
nobilius adhuc testimonium dedit, cum dicere solebat Cancellarius  
meritissimus, Cerni oculis, atque ipsis quoque tangi manibus,  
Societatem iugulandis Hæreticis, non ferro, sed eruditione,  
pietateque Christiana diuinitus excitatam.*

Iugulandis  
hæreticis  
diuinitus  
excitata.

3. A MARTINO NAVARRO, *Viro doctrina, & pietate cla-  
rissimo; qui cum ad Salmanticam iter haberet, Patresque nostros sa-  
lutatum venisset, cum diceret, debere se obedientiam, quam toti  
Societati detulisset, ei quoque deferre Collegio, pie omnes, de-  
que genu complexus sollicitè monuit, ut Salmanticensis, Parisini-  
que Collegiorum fundamenta quam optime constituerent,  
ut quæ Vrbes veluti fontes quidam literarum essent, quo ex-*

Classis cõ-  
tra Sata-  
nam, qua  
nulla maior  
instructa.

ternorum plerique confluerent: cumque Ignatius contra Satanam eam instruxisset, ornassetque Classem, qua nulla maior unquam esset instructa (*sic enim ille loquebatur*) magnas Societatis Collegijs, domibusque tempestates non defuturas. *Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 14. num. 74.*

De eius Cō-  
fessarijs  
singularis  
opinio.

AB EODEM, *Qui agens de Confessario, cui morem gerere scrupulis vexatos par sit, Respondeo (inquit) quod si Confessarius est vir eruditus egregiè, & pius insigniter, quales solent esse Magistri, & Doctores, & Confessarij Illustrissimæ Societatis IESV, procul dubio, & sine aliquo serupulo, potest, imò & debet credere: adeo quidem, vt mea sententia, non credendo, & non se eius auctoritate tranquillando, peccaret. Hæc ille Tomo suo Consil. lib. 5. consil. 17. num. 1. Et rursus in suo Manuali Confessorum Cap. 24. num. 10. Societatem IESV appellat, Illustrissimum, vtilissimumque nostro sæculo Ordinem. Et tandem*

Illustrissi-  
mus, &  
vtilissimus  
Ordo.

Eius Scho-  
la magnum  
presidium  
ad retinen-  
dam auitã  
religionem.

*Tom. 3. Miscellaneo 69. de Oratione expendit, Quanto præsidio fuerint ad retinendam auitam Religionem Sociorum Scholæ, sicut econtra (ait) paulo ante Orbi Gallicano indicibile damnum inuexerunt qui in quibusdam Galliæ, Aquitanix Gymnasijs impietatem Lutheranam, & rudimenta Grammaticæ coniunctim docuerunt. Hæc ille.*

Societas à  
Deo coacta,  
fulcita, &  
Illustrata:

Ad iuua-  
men Chri-  
stians  
Reip. &  
errorum  
caliginem  
depellendã.

Ad anima-  
rum mede-  
lam, & ef-  
franis in-  
uentatis  
educationẽ.

4. AB ANDREA VICTORELLO *Super suas Annotationes ad summam Francisci Toleti Card. in Prefatione ad lectorem: Sanctissimæ (inquit) & doctissimæ Societatis IESV filius (loquitur de Toletio Cardinali) quam Deus Optimus Maximus cœgit, fouet, fulcit, auget, illustrat, vt Christianæ Reipublicæ negotia, ad nutum sanctissimi Romani Pontificis adiunget, vt tetrã errorum caliginem depellat, animorum morbis medeatur, adolescentibus opem ferat, quo in ipso æstuantis ætatis meditullio prauas voluptatum titillationes spernant, effrænnes lasciuientis animi impetus frænent, vitijs nuncium remittant, virtutum per fugium quærant, scientiarum amore capiantur, in diuinæque pietatis quasi gremio cælestium bonorum auidissimi consenscant. Hæc ille.*

5. A DIDACO PAIVA DE ANDRADE *Doctore sapientissimo, qui à serenissimis Portugallia Regibus ad Tridentinam remissus Synodum semper interfuit, & pro Societate aduersus Kemnitium valenter scripsit: Is postquam in Praefatione ante lib. 1. Orthodoxarum explicationum Nostros vocat Homines Catholicae, piæ, veræ, & excellentissimæ doctrinæ, Institutum vero sanctissimum, & seuerioris, & ad veterem Ecclesiæ normam confirmatæ disciplinæ, & qui laboribus immensis ab vniuersa fere Germania pestem redimunt, florentissimamque Prouinciam ad antiquam Religionis puritatem restituunt: Tum ipso libro*

*Eius Institutum, & filij laudantur.*

*Ex doctrina excellentia, & laboribus immensis in hæresi perniciem.*

1. *Kemnitium alloquitur inquit. Diligenter amabo te, perscrutare omnes illorum actiones, & curiosè inuestiga, an quidquam in vniuersis eorum Consilijs reperire possis, quod inflammatum in Christi plebem amorem non spiret. Hic est, qui tuum in eos funestum odium concitauit. Hæc apud Paul. Leonard. Apolog. pro scientia Media Par. 2. num. 85.*

*Spirant inflammatum in Christi plebem amorem.*

AB EODEM, *Societatem suorum Martyrum sanguine purpuratam contemplante: In finitum (inquit) quidem esset numerando percensere, quot illius viri in hoc docendi Euangelij, atque Indicos homines ab impietate auocandi munere, verberibus cæsi fuerint, quot vinculis obstrikti, quot in carceres miserè contrusi, quot inedia fere consumpti, quot denique ob Christi nomen varijs cruciatuum generibus interierint. Hæc ille lib. 1. Orthodox. explicat. apud P. Nigron. sup. Regul. Soc. tit. Par. 3. n. 14.*

*Quanta patientur in Indijs, vt homines ab impietate auocent.*

6. A PETRO VICTORE *In Appendice ad Chronolog. Genebrardi anno Mundi 5673. & Christi Domini 1583. vbi ille sic ait: Deus semper in Ecclesia sua suscitauit viros heroica virtute præditos, ac præsertim remedium malis nostris peropportunum, veluti data opera miraculis gloriosum, & doctrina eximium Sacrum Patrum Iesuitarum Ordinem esse voluit, à quo solo fere tota Ecclesia videtur restituta, sine aliorum Ordinum iniuria, sed in laudem omnipotentis Deo, & misericor-*

*Societas Ordo est miraculis gloriosus, & doctrina eximius.*

*A quo solo tota Ecclesia videtur restituta.*

di, qui fœdus suum cum sua vnica Catholica Ecclesia nunquam poterit obliuisci.

7. A IOANNE MOLANO *Notis ad Martyrologium Vsuar- di ad diem Vltimum Iulij de B. P. N. Ignatio inquit.* Omnia enim eius Consilia, & studia spectabant ad conseruandam, reuocandam, & multiplicandam perse, & suos fidei Catho- licæ sinceritatem. *Hæc ille in citata Apologia pro scientia Media Par. 2. num. 85.*

8. A RENATO BENEDICTO *Doctore Sorbonico in expe- ditione Epistolæ Missæ de Circumcisione Domini :* Diuina (*inquit*) prouidentia videtur Instituta Societas militans sub Nomine IESV ad occurrendum Calvinistis, qui vt tollant à Christo Di- uinitatem, non IESVM Christum appellant; vt mos antiquis- simus est, vel IESVM, sed tantum Christum. *Ex cuius verbis habemus, & Sodalitatem nostram militantem esse, & Calvinistarum in appellando Salvatore, deprauatæ consuetudini facere medicinam. Ita apud Nigron. in Reg. Soc. Tit. Par. 3. n. 48.*

9. A FRAN. LVCA BRVGENSEI *Decano Audomarenfi Tomo 4. in Euangelia, Epistola nuncupatoria ad R. P. Mutium Vitelleschum Societatis IESV Generalem.* Societatem (*inquit*) à Deo excita- tam, vt in vetere quidem Orbecam tanquam Murum oppo- neret nascentibus Hæresibus : in nouo autem Orbe eâ vtere- tur ad prædicandum Euangelium suum. *Hæc ille in Apologia citata pro scientia Media Par. 2. & n. 85. citatis.*

10. A FRANCISCO MONTANO *In Apologia contra Anto- nium Arnaldum cap. 64.* Nostro (*inquit*) tempore vt viri sapien- tes obseruarunt, & maxime Dominus Genebrardus Archie- piscopus Aquensis, cum Dominus permisisset spargi vene- num, mox etiam antidotum dedit; Martinus Lutherus ab Ecclesia discessit, vt Ecclesiam impugnaret, Ignatius de Lo- yola ex mundo recessit, vt mundum debellaret: vterque ab Ecclesia initio renatus, & genitus in iisdem visceribus, & qui- dem eodem tempore, vt gemini Esau & Iacob, Lutherus vt Esau factus grandior à Dæmone instructus, & impulsus est,

vt

*Omnia  
Ignatij, &  
suorū stu-  
dia ad con-  
seruandam,  
& multi-  
plicandam  
fidem spe-  
ctant.*

*Societas  
militans  
sub Nomine  
IESV ad  
occurren-  
dum Calui-  
nistis.*

*Excitata à  
Deo tan-  
quam Mu-  
rus contra  
hæreses in  
veteri Orbe.*

*Et in nouo  
ad prædi-  
candum E-  
uangelium.*

*Ignatius  
antidotum  
contra Lu-  
theri vena-  
num.*

*Vtriusque  
mira anti-  
thesis.*

vt Ecclesiæ turbo fieret, animabusque perdendis, & ad sempiternum exitium detrahendis administer: Ignatius tanquam Jacob, & indefessus miles eligitur à Deo, vt pro Ecclesia pugnet, animarumque saluti procurandæ diligenter aduigilet, Lutherus in campum educit phantasmata, & deliramenta

Arrij, Manichæi, Donati, & omnium veterum Diaboli satellitium: Ignatius copias suas collegit, & præeuntibus sanctis Ecclesiæ Doctoribus ordine disponit, & ad Lutherum fugandum, & ad omnes Lutheranas cohortes profligandas educit. *Et in principio sui Apologetici idem doctissimus scriptor addit: Odio prosequuntur (loquitur de Sectarijs) omnes veri nominis Catholicos, magisque adhuc Religiosos, sed præ ceteris omnibus Iesuitas: hinc omnes suas disputationes, omnes chartas, omnia sua mendacia, omnia veneni genera, omnia fulgura, & tonitrua in Iesuitas effundunt; potiori temporis parte inducias faciunt cum ceteris familijs Ecclesiæ Dei, cum ista nunquam: doctrinam Ecclesiæ Catholicæ non amplius vocant suo nomine doctrinam Catholicam, sed doctrinam Iesuiticam. Iesuitæ sunt scopus, & meta ad quem Hæretici omnem furoris impetum destinant, in quibus solis ipsam quoque Ecclesiam toto mundo diffusam expugnare, vel certe oppugnare velle videantur. \* Adde ab Eodem Montono Vocari Societatem Seminarium Vniuersale omnium virtutum. Ita apud Euseb. vit. S. Ignat. cap. 1.*

11. A NICOLAO SANDERO *Lib. 1. de Schism. Anglic. fol. 202.* Sed ô (*exclamat ille*) rursus ineffabilem ipsius in nos, Ecclesiamque vniuersam bonitatem, & misericordiam, qui his ipsis temporibus, quibus à blasphemia Lutheri lingua alibi, & in Anglia per inauditam iniquissimi Tyranni sæuitiam extincta plane videbatur omnis Religionis, ac perfectioris vitæ professio, & erga Christi Vicarium ita omnis sublata obseruantia, vt ipsius Papæ ac Pontificis venerandum fidelibus nomen fieret execrabile, excitauit spiritum Viri Dei Ignatij Loyolæ, Sociorumque quorundam suorum, qui castissimam

*Iesuita præ ceteris odio prosequuntur ab Hæreticis.*

*Qui cum illis nunquam inducias faciunt.*

*Sed in illis Ecclesiam sibi videntur expugnare.*

*Societas omnium virtutum vniuersale Seminarium.*

*Ipsa, & Ignatius contra Lutherum excitantur.*



purgatissimamque Religionis viam ingressi, ad cetera perfectionis studia & vota, illud quartum singulari quadam ratione ex Dei instinctu votum contra Lutheri & Henrici impietatem sponte addiderunt, & in omnibus officijs pietatis ac Religionis peculiariter Romano Pontifici se suamque operam pollicerentur, &c. *Hæc ille Par. 2. num. 86. Apol. cit. pro scientia Media.*

*Ille à Deo missus in subsidium Ecclesiæ.*

12. A FLORIMUNDO REMUNDO, *In Burdigalensi Christianissimi Galliarum Regis Curia Cancellario meritissimo Tom. 2. de Hæresum Origine, & progressu lib. 5. cap. 2. num. 2.* Eodem tempore (*inquit*) quo Lutherus abiectocucullo non se tantum, sed alios quoque contra Ecclesiam armavit, Deus militantem hominem excitavit, qui deposito sago, Religionis habitum assumeret: hic ille est quem sub Nominis IESV vexillo Deus obsessæ suæ Ciuitati in subsidium misit, vt eam non solum ab insidijs, & stratagematis hostium, contraque eorundem insultus defenderet, verum etiam in hostes ultro irrueret, machinas eorum corrumperet, propugnacula deijceret, cuniculos euerteret, hostibusque depulsis profugos contra muros Ecclesiæ ab eis desertos reduceret, & ex persecutoribus defensores, ex hostibus ciues redderet: hæc feliciter præstitit Ignatius Loyola tam nobilis, & validi Exercitus Dux, qui per totum terrarum Orbem in manipulos dispersus, sub IESV Nominis vexillo hæresi continuum bellum facit, &c. *Hæc ille Ibidem num. 86. cit. fine. Et postea multa alia præclarè in doctrina argumentum loco eodem, libro, capite, & numero citatis addit in hunc modum. Quorum (id est Jesuitarum) de doctrina tanta est existimatio, vt scientiæ omnes perditæ, eorum opera restitui posse videantur, ex quo terretima eorum apparet inuidia, quos Societati huic ignorantiam exprobrare non pudet; sed hoc conuicium non minus in ipsis locum habet, quam in Hercule & formidinis crimen, &c. Hæc apud Apolog. cit. pro scientia Media Par. 3. num. 55.*

*Societatum doctrina, & scientijs excellant.*

AB EODEM, de *Hæres. Ortu* lib. 4. cap. 3. asserente, Contra Hæreticorum pestem, non aliunde maius, quàm à Societate Præsidium allatum: eius potissimum operâ errorum causam, hoc est ignorantiam sublatam, redditumque Catholicis ritibus splendorem. *Hæc apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 2. cap. 4. pag. 214. Et postea conuersâ ad illos, quos ita extulit IESV socios, Oratione sua, sic exclamat scriptor idem grauissimus. At vos, (inquit) ô inuicti, & infatigabiles Æacidæ, cælitus vos missos credimus, vt tam longo, & funesto bello finem imponatis. Vobis vt à Mercurio olim Vlyssi, diuina illa herba moly à Deo data est, vt tantam miserorum hominum à venefica illa Circe hæresi incantatorum, & in bestias transmutatorum, multitudinem pristinæ formæ restituatis: aliosque quos mali illius vis nondum attigit, præseruetis. A vobis, Duces fortissimi, vltimus ille ictus lernæo monstrò infligendus expectatur: in fatis namque est, vt sicut Troia sub Pyrrho, sic sub Vobis hæresis pereat, atque excindatur. Quamuis autem merita Vestra, & labores, non vt par est, ab omnibus excipiantur, & compensentur, non tamen cessate Victoriâ Vestram persequi, donec hostis plane prostratus & deuictus in triumphum ducatur. Hæc ille apud cit. Imag. lib. 5. cap. 9. pag. 647.*

AB EODEM, In præcellenti opere de *Hæresi nascente, & cadente* lib. 6. Ubi postquam ille zelum huius Ordinis in rem Catholicam fusè descripsit, & varias regiones ab eo peragratas, enumerauit, subdit: Nec solum in hæc Prouincias ad mortalium animas à Paganismo, & Hæresi reuocandas, easque restituendas Catholicæ Christi Ecclesiæ admittuntur: sed etiam ob vitæ innocentiam, virtutes præclaras, excellentia exercitia, diligentiam & dexteritatem, iuuentutem tam in pietate, quam in doctrina instituendi, & educandi, ob insignem etiam eruditionem, prudentiam singularem, & alia rara Charismata illis à Deo concessa asciscuntur, non sine magno Ecclesiæ Catholicæ emolumento, tum à summo Pontifice, tum ab alijs magnis Principibus Christianis, Concionatores, & Confessa-

Societas  
Præsidium  
contra hæ-  
reticorum  
pestem.

Eius filij  
inuicti, &  
infatigabi-  
les Æacida  
è celo  
missi.

Duces for-  
tissimi sub-  
quibus, vt  
sub Pyrrho  
Troia, hæ-  
resis peri-  
tura.

Eorum ze-  
lus in ani-  
mabus re-  
uocandis à  
Paganis-  
mo & hæ-  
resi.

Et virtutes  
præclaræ,  
cum singu-  
lari erudî-  
tione.

Non sine  
magno Ec-  
clesiæ emol-  
umento.

rij,

rij, Consiliarij in rebus diuinis, in Academijs Professores, re-  
stitutores morum collapsorum, ac reductores & Magistri  
exquisitissimi religionis, pietatis, & veri cultus Dei. *Hæc Re-*

*Societas  
manus  
auxiliaris  
contra no-  
uum Sena-  
cherib ca-  
litas sub-  
missa.*

*Vt mundo  
felicitatē,  
Ecclesiæ  
salutem, si-  
bi gloriam  
paret.*

*Orientem  
conuertit,  
Lutheranā  
hæresim  
prope ex-  
tirpauit,  
totius  
Ecclesiæ  
plausu.*

*Inde in  
illam insa-  
nabile hæ-  
reticorum  
odium.*

*in nostram commendationem non satiatus dictus Florimundus, pro  
tanta illa opinione, quam de Societate conceperat, non dubitauit Co-  
lophonem illi siue Coronidem, & quidem auream his verbis imponere:  
Quis, inquit, non dicet Societatem IESV Auxiliarem esse  
Manum è cælo contra nouum Senacherib submissam, quam  
etiam firmiter sperandum est, non prius defecturam, quam  
omnes hæreses sint extinctæ. Diuinitus ad hoc missa est So-  
cietas, vt mundo felicitatem, Ecclesiæ salutem, sibi gloriam  
pareret, & adferret. Hactenus ille, vt refertur à Fr. Ioan. Ponce  
Ord. Minorum, viro grauissimo in approbat. sua ad Tom. P. Andr.  
Perez de Triumphis fidei.*

13. A SEVERINO BIMIO Theologo Colonienſi Tom. 4.  
*Conciliorum Generalium in vita Pauli III. Societatem, inquit,  
Nominis IESV, quæ auctore Ignatio Loyola nobili Hispano  
Instituta est, quæque Orientales populos conuertit, hæresim  
Lutheranam & prope extirpauit; magno totius Ecclesiæ Catholice  
applausu, & emolumento comprobauit, & confir-  
mauit. Hæc ille apud Paul. Leonard. in Apolog pro scient. Medis  
Par. 2. n. 87.*

14. A PETRO STEVARTIO Academia Ingolstadiensis Pro-  
*cancellario, & Rectore in Apologia pro Societate IESV publicata ann.  
1593. fol. 21. Hæc vnica, inquit, & præcipua causa est odij Ve-  
ltri (alloquitur sectarios) in Patres Societatis IESV; omnesque  
eorum Patronos, & amicos; videtis enim salua Catholica do-  
ctrina, ita defensa, quemadmodum à Societatis IESV homi-  
nibus publice docetur, promulgatur, propugnatur; omnes  
hæreses labi, & corruere, præterea Concilia, ac leuitatem  
Veltram, vosque vt homines nihili, & vilissimos despici, ac  
contemni. Sic ille apud citatam Apologiam n. 88.*

15. AB

15. AB STANISLAO RESCIO *Protonotario Apostolico in Apologia contra Poloni cuiusdam maledicentiam pag. 34.* Sed interrim, ait ille, ipsi eorum Magistri (scilicet novatorum) & ministri editis in vulgus libellis, & pictis propositis tabellis in oculis omnium gentium confitentur nutantē in Septentrione Romanam Ecclesiam Iesuitarum studio, labore, diligentia, ope omnium rerum sustineri. *Et pag. 49. addit: Tales se plane isti novi Præceptores Iesuitæ exhibent, quales esse volebat doctissimus Lyrinensis cum ait, ô Sacerdos, ô tractator, &c. Ibid. num. 88. Scriptor idem doctissimus in Vita Stanislai Hosij Cardinalis loquens de S. P. N. Ignatio, ait: Qui primus Pauli, & Iohannis Apostoli præcepta secutus, fideles Dei in Societatem filij eius Domini nostri Iesu Christi conuocauit; totque tam pios, tam doctos, tam vtilis, tam necessario tempore filios, & defensores Ecclesiæ Dei peperit. Ita apud P. Nigron. in comment. Reg. Soc. Tit. par. 1. num. 15.*

Eius filiorū studio, labore, ac diligentia Rom. Ecclesia in Septentrione nutans sustinetur.

Ij Ecclesiæ defensores, docti, vtilis, ac necessarij. 1. Cor. 1. 9

16. AB ANTONIO FABRO *Celebri Iurifconsulto Tom. 2. decisionum forentium lib. 9. tit. 15. definitione 2.* Quibus (loquitur de Iesuitis, nihil ætas nostra tulit eruditius, aut religiosius, nihil toti Christianæ Reipublicæ vtilius. *Hæc ille apud toties citatam pro scient. Med. Apol. par. 3. num. 54.*

Quibus nihil eruditius, religiosius, Christianæ uel Reip. vtilius.

17. A PROSPERO FARINACIO *Tract. de Hæresi Epistola Dedicatoria ad Cardinales Generales Inquisitores. J. R. E.* Et quidem (inquit) è Societate IESV splendida illa literarum Officina scientissimorum (et nominatis quibusdam Scriptoribus, quos euoluerat subdit egregius Doctor;) Vt si quid est, quod in hoc labore meo laudem, commendationemque nominis mereatur aliquam, id ex eorum fontibus, disertè vt par est, atque simpliciter hausisse me fatear, &c. *Hæc ille Ibid. numer. 54.*

Societas splendida literarum Officina.

18. A FIDELIO ANNOSO *Verimontano in Synopsi Apostolice Marcæ Antonij de Dominis: Grad. 4. fol. 34.* Nulla (inquit) alia re magis commendatur Ordo IESVITARVM quàm quod vix inter illos conspicias quemquam à pietate, aut

A pietate, & Religione deficientes non patitur.

Religione deficere, quin prius ab ipso Ordine secernatur.  
Hæc ille.

Miro cum  
fructu in  
iuuentutis  
educatio-  
nem in-  
sumbit.

19. A LAVRENTIO BEYERLINCK *Canonico Antuerpiensi, scriptis, & eruditione celeberrimo: in Theatro vite humanae tom. 2. lit. C. Nostro (inquit) sæculo, inter omnes Religionem aliquam professos, sedulo, & miro cum fructu Catechisationi iuuentutis incumbunt Religiosi, siue Clerici Societatis IESV, vel hoc Nomine celebrandi quod hanc rem Ecclesiæ Dei vtilissimam magno zelo curent, & exacta methodo Iuuentutis regimini accommodatam exequantur: sic vt proprium eorumdem munus videatur, & in quod omnes incumbunt, teneros puerorum animos Christianæ disciplinæ formulis, veluti cum ipso lacte imbuere. Quo fit, vt ijs locis, quibus Societas hæc admissa est, videre liceat, Iuuenes moribus, & pietate instructos, & de ijs etiam rebus, quas alibi adultiores ignorant, differentes. Neque dumtaxat honestioribus hunc laborem impendunt, sed & pauperibus, qui arte & manu victum quærunt, aut impensis eleemosynarum, vel è publico aluntur, assiduâ instructione diebus, quibus ab opere feriantur, adsunt: nec ab agrestium pia directione, vbi ea per Parochos negligitur, se subtrahunt, quin exemplo Apostoli omnibus omnia facti, omnium moribus, & disciplinæ se accommodant, sic vt in sola Antuerpia habeas subinde triginta numero, & plures pro varietate locorum, qui in hac pietate desudant. Hæc ille apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 6. fol. 355.*

Omnium  
moribus &  
disciplina  
se accom-  
modat.

Eius insti-  
tutio celo,  
ac calitibus  
dignum  
stratage-  
ma.

20. A VINCENTIO BLASCO DE LA NVZA *In Historia Ecclesiastica, & seculari Aragoniæ Tom. 1. qui testimonium pro Societate latinè redditum hoc scribit: Quod (inquit) Illustrem fecit hunc annum, facietque in ventura retro sæcula, fuit quod Sancta Sedes Apostolica confirmarit Religionem Societatis IESV. Cælo dignum ipsisque Cœlitibus stratagemata, dare hisce temporibus Sacrum illud Institutum, vnde tanti, tamque sancti & docti homines prodierunt. Hæc ille in Imag. cit. lib. 5. cap. 10. pag. 670.*

21. AB ANDREA SAVSSAIO *In Martyrologio suo Gallicano, in Societatem, & Socios fusiori calamo encomia effundente. Ipso (inquit) die Sancti Ignatij Loyolæ Presbyteri & Confessoris gloriosissimi, qui singulari diuinæ bonitatis arcano Orbi datus ac in lucem editus, imminente tempore, quo aperto abyssi puteo, æternus pietatis hostis, tetra hæreseon caligine Solem Fidei Catholicæ clarissimum obscurare, & per ferales Emissarios Christi Ecclesiam funditus subruere satagebat, excitus zelo Dei nouæ Militiæ Dux, nouam in aduersam aciem, Societatem scilicet IESV, felici prorsus auspicio instruxit; vel hoc ipso nomine, vniuersis inferorum copijs formidandam. Quam Regulæ sanctissimis præceptis Institutam, Sedis Apostolicæ auctoritate munitam, diuina prorsus sapientia regens, toto Orbe diffudit, aduersus impietatis cohortes, & fera peccati monstra perpetuo certamine bellaturam. Cuius Fortissimæ Phalangis victoriæ, deuicta ferè iam vbique hæresi, Fide mirificè etiam apud Ethnicos propagata, sepulta ignorantia, vindicata pietate, quocumque Sol lucet, latè patent: hisque trophæis ouans Catholica Ecclesia, impenasè Ignatio quotidie triumphanti, iamque cum Christo regnanti, gratulatur. Qui Sanctorum præclarè gestis animatus, tam mirandas res Christo auspice Lutetiæ Parisiorum aggressus, ipsi Christo IESV (cuius Nomen altè præcordijs infixum gerebat) immensam gloriam, Ecclesiæ perpetuum munimen, & commodum, sibi vero sempiternum decus peperit. Hæc ille in Imag. cit. Ibidem.*

*Laudatur in Ignatio Parente.*

*Noua militia in aduersam hæreticorum aciem.*

*Ipsis inferorum copijs formidanda.*

*Phalanx fortissima hæresim deuicens, & fidem vbique propagans.*

*Cuius trophæis ouans Ecclesia Ignatio gratulatur.*

*Qui eidem perpetuum munimen, sibi decus peperit sempiternum.*

22. AB ERYCIO PVTEANO *Musarum delicio, viroque amplissimo in Oratione de Purificatione Virginis Matris. Quod maius (inquit) Religioni Christianæ bonum patrum æuo accedere potuit, quam vt, turbato opinionum dissidijs Orbe, viri prodirent optimi, doctissimi, sanctissimi, quorum opera & industria aurea virtutis renascerentur sæcula, & nouo feruore Christianæ legis arcana inualescerent, nouo diuinitatis*

*Iesuitarum operâ aurea virtutis sæcula renascentur.*

Societas  
victrix hæ-  
resū, Pha-  
rus virtutū  
perfectio  
sæculi, glo-  
ria disci-  
plinarum.

Clarum, &  
illustre So-  
dalitium.

Teneram  
ætatem  
pietate, &  
eloquentia  
imbuens.

Ordo homi-  
num Chri-  
stianam  
Remp. ful-  
cientium.

Scriptis,  
concioni-  
bus, &c.

Is fortissi-  
mi Christi  
milites re-  
diuinam  
hæresim op-  
pugnantes.

Et sapien-  
tia lumina.  
Ignatius  
Dux, &  
Atlas  
Ecclesiæ.

pondere firmarentur, mortalium partim frigore partim sce-  
lere expugnato? Societas illa IESV est; quam cum nomino,  
fatis laudo. Illa Victrix hæresum, Pharus virtutum, Perfe-  
ctio sæculi, Gloria disciplinarum. *Hæc ille vbi nuper. pag.*  
*671.*

23. A PONTO HEVTERO *Scriptore Casareo lib. 13. vitæ*  
*Car. V. qui sequens testimonium de doctrina sociorum reliquit:* Per  
se (*inquit*) clarum & illustre IESVITARVM Sodalitium, qui sine  
morositate reformatam ad pietatis cultum vitam, insuper pu-  
rioris literaturæ elegantiam prudenter sectantur, teneram-  
que in hac & pietate ætatem diligenter imbuunt, & ad elo-  
quentiam & ingenij acumen elimandum exercent. *Hæc ille*  
*Ibid. lib. 5. cap. 6. pag. 645.*

24. A RENATO CHOPPINO *De Sacra politia lib. 11. n. 18.*  
Miscellâ etiam hac tempestate, excitatus est à superis novus  
Religiosorum hominum Ordo, qui vt à IESV Societate no-  
men obtinent, sic assidua Sacræ Paginæ lectione, concioni-  
bus, scriptorumque editione nutantem fulciunt Christianam  
Rempublicam, rara ingenij, doctrinæque munera ad orna-  
tum Templi Dei, idest Ecclesiæ, conferentes. Potiuntur  
certè hi parva ex optimis studijs insigni gloria, quæ nixa veræ  
virtutis radicibus nunquam deflorescet. Nec vero melatet  
Sacri huius Ordinis nouitatem inuidiosam fuisse nonnullis:  
sed, fractis inuidiæ repagulis, IESVITARVM Ordo radices  
egit velut de cælo missas: quo fortissimi Christi milites redi-  
uiam veterum hæresim oppugnarent æquè strenuè, vt im-  
pijs Albigentium erroribus obiecti sunt à Numine quon-  
dam Dominicanæ normæ Sacerdotes. *Hæc ille Ibid. lib. 5. cap.*  
*11. fol. 678.*

25. A FRANCISCO ENRIQUEZ: Habet (*inquit non mi-  
nus breuiter, quàm neruose*) sapientiæ lumina Ignatius cum sua  
Familia, & eum iustissimo titulo Vrbanus VIII. appellat Du-  
cem, & Atlantem Ecclesiæ, qui doctrinæ suæ humeris mun-  
dum fulciat, atque sustentet. *Hæc ille vbi supra.*

26. AB

26. AB ADRIANO BROUWERSHAVIO *Theologiae Doctore*, *Rectoreque magnifico qui graui Oratione in Magistros, ac Parentes inuehebatur, qui discipulos, filosofve retraherent ab ingressu Societatis, quam Religionem Apostolicam, & difficillimis Ecclesiae temporibus à Deo excitatam, predicabat, quaeque haberet viros eximia virtute ac doctrinâ præditos, in Concilio Tridentino inter Pontificios Theologos, cum insigni dignitate obtinentes locum. Hæc ille. Ibid. lib. 6. cap. 1. fol. 736. Et postea Ibidem. cap. 5. fol. 886. testatur, Institutum nostrum profus esse Apostolicum, ad collapsam veterem disciplinam in integrum restituendam. Addebatque. Patrem Adrianum ac socios esse raræ virtutis, doctrinæque viros: adeoque spiritui sancto resistere, vel certè nostrum vitæ genus ignorare, qui qui nobis aduerfarentur. Hæc ille.*

*Societas  
Apostolica  
Religio.*

*Habet viros  
eximia vir-  
tute, ac  
doctrina  
præditos.*

*Eius Insti-  
tutum Apo-  
stolicum ad  
collapsam  
discipli-  
nam resti-  
tuendam.*

27. A THOMA STAPLETONIO *Duaci doctrina, opinione celeberrimo, ad familiarem sibi hominem de Societatis ac Lessij sanâ doctrinâ, Louanium in hæc verba scribente. Vehementer (inquit) gaudeo, Reuerendissimum D. Middelburgensem, quem spero breui pace confecta ad sui Episcopatus munia obeunda profecturum, tam piè, doctè, ac strenuè causam agere R.R. P.P. Societatis, contra importunam censuram Facultatis Louanienfis; velim sciat, in Concilium Facultatis Duacensis me vocatum non fuisse, cum de illa censurâ suum iudicium parum, vt audio, æquum & minus modestum præscriberet. Imò cum ante complures menses eamdem ad me censuram Michaël Bayus misisset, meam sententiam non tam petens, quàm explorans, rescribens suasi, ne illam censuram amplius euulgaret; monuique, maiorem esse Societatis gratiam, & auctoritatem, quam vt eam Facultas Louanienfis labefactare possit. Precabar denique, vt studium veritatis, vinculum Charitatis non dissolueret: sed video me vel serò, vel surdis locutum fuisse. Sic ego sum Reuerendissimo Atrebatensi, vt nedum illi censuræ subsignarit, nec, spero, subsignaturus sit. Doleo hanc nouam maculam Facultati inustam, & Patres*

*Defenditur  
eius doctri-  
na, à Lo-  
uanienfi  
censura.*



doctissimos tam iniuste vexatos; *Hæc ille in fauorem doctrine nostri Lessij Pelagianismi insimulati. Ibidem lib. 6. cap. 4. fol. 847.*

*Testimoniū  
egregium  
pro Duacensi Collegio.*

AB EODEM Vniuersitatis Duacensis per id tempus Rectore meritissimo, qui egregium pro Duacensi Collegio testimonium, in hæc verba præbuit. Fidem (inquit) facimus & testamur sub certa scientia, & longa iam aliquot annorum experientia, Patres, & Professores Societatis Nominis IESV hic in Collegio Aquicentensi Philosophiam, & bonas literas docentes maximo hæctenus cum fructu, ad incredibile Vniuersitatis huius incrementum, & ad summum Dei Optimi Maximi honorem, hanc docendi Prouinciam exercuisse. Sic enim, à quo tempore hic primum docere cœperunt, domi in ipso Collegio non minus veram ac sanctam pietatem adolescentum animis instillarunt, frequentissime concionando, Confessiones excipiendo, & ad Sacram synaxim adolescentes suos creberrime perducendo, quos bonas literas accuratè, & diligentissime docuerunt: vt & numerosissimam habeant intra ipsos Collegij parietes, iuuentutem, & extraneorum præterea multitudinem ingentem, non minus pietate, & bonis moribus insignem, quàm literaria eruditione præstantem. Sane reliqua Collegia sic sua singulari industria ad æmulationem excitarunt, vt alterum quidem iacens, penèque vacuum sub Regente nouo horum Patrum æmulo & imitatore sedulo, egregiè iam reflorescat: alterum de nouo Institutum non aliter sibi florere posse videatur, nisi ad horum industriam quàm proximè accedat. Plurimos ex hoc Patrum Collegio Artesia, & Hannonia Pastores, multos Schola nostra Theologos optimè institutos, & comparatos accepit. Planè sine horum Patrum industria artium studia iam olim in hac Vniuersitate, aut concidissent, aut obscuro sane ac duro loco fuissent. Foris præterea ita Populum Duacensem frequentissimis concionibus, & Confessionum Exceptionibus, ad pietatem & verum Dei cultum inflammarunt; vt

nemo

*Varia eius  
munia in  
proximorum  
utilitatem.*

nemo pius horum Patrum studio se meliorem factum non agnoscat. Multi, aut impij ad frugem reuocati, aut tepidi ac seque accensi & incitati horum industria fuerunt. Quæ quidem omnia ita se habere publica vox, & fama loquitur, frequentissima populi synaxis diebus festis ac Dominicis in Ecclesia ipsorum Parochiali oculo demonstrat. Denique boni hîc omnes atque prudentes viri salutem propemodum huius Vniuersitatis, certè artium & disciplinarum studia ab vno Patrum hîc docentium Collegio pendere profitentur. Quorum omnium suffragijs ad maiorem & publicam attestationem, vt noster quoque calculus adderetur, hæc ita se habere hoc instrumento, mea propria manu scripto, & sigillo officij nostri Rectoralis munito, omnibus & Vniuersis fidem facere volui, &c. *Hæc ille 4. par. Hist. Soc.lib.4. num.124.*

AB EODEM Tom. 4. *Promptuarij Moralis in Domin. infra Octauam Natiuitatis Domini fol. mibi 46.* Quare (inquit) sanctissimum, ac saluberimum est illud hodie Societatis IESV Institutum, quæ meditatione huiusmodi suos quotidie per horam integram exercet, eamque matutinam, vt minime mirandum sit, si vel hoc solo nomine, & exercitio quotidiano tam excellenti, verum de illa Societate sit, quod ante quadringentos annos, de Ea scripserit Ioachimus Abbas his verbis: Insurgeret vna noua Religio sanctissima, quæ erit libera, & spiritualis, in qua Romani Pontifices potiti pace Ecclesiæ se continebunt. Quam Religionem, & Ordinem Deus super omnes alias diliget, quia perfectio illius vincet omnes alias aliorum Ordinum. *Hæc ille.*

*Societatis  
institutum  
sanctissi-  
mum, &  
saluberri-  
mum.*

28. A SILVADVCENSI Ciue, Viroque canitie & auctoritate venerabili, qui cum videret ingentem ad Sacra Confessionis & Eucharistie mysteria in Templo nostro concursum, accedens ad quemdam è nostris sibi ignotum, Non possum (inquit) ô Pater dissimulare gaudium, quod intimis medullis percipio, dum video quantum hæc Vrbs ab aduentu vestro sit mutata. Ante hac rarif-

*Silvadu-  
centium  
mutatio  
ex eius  
ingressu.*

rarisimus erat Sacramentorum vsus, & si quis erat extra Paschales ferias, risu aliorum, & Cachinnis erat obnoxius: nunc nemo probus religioni sibi non ducit, si B. Virginis alijsque solemnioribus festis hæc mysteria non vsurpet. *Hæc ille de sue Urbis facie in aliam mutata, apud Imag. I. sæc. Soc. lib. 3. cap. 8. fol. 373.*

29. A PETRO MATHÆO Iurifconsulto doctissimo, Doctoreque eloquentissimo in summa Constitut. Summorum Pontificum in Pauli III. Scholijs ad Bullam Confirmat. Societatis IESV fol. mihi 308. Dum (inquit) deridetur passim Nomen Papæ, Petri clauces contemnuntur, Lutherus pessimi dogmatis vocẽ per Germaniam pestilenti lingua effundit, Rex Angliæ turbulentissimæ mentis inauditam crudelitatem in Catholicos exercet, dum sacri cultus pietas, Religionis feruor penitus extinctus videtur, dum superseminat inimicus hostis zizania, adsunt diuino Pneumate asciti Patres Societatis IESV, qui Petri Sedem illustrent, in Lutherum arma diuini eloquij parant, Tyrannos aggrediuntur, lolium in agro Dominico euellunt, & fidei Christianæ præclarissimi Buccinatores verbo & exemplo cunctis prælucent. Frustra aduersus hæc Propugnacula conatur Lutherus, frustra multiplicantur, qui veritatem Christi premunt, frustra Rex Anglus muros Sionis euertere contendit, adsunt nobis noua hæc Præsidia, quorum Dux, & antesignanus veluti clarissimus, & natalium splendorum conspicuus Ignatius Loyola Cantaber extitit, &c. Ex milite factus est Dux insignis illius amplissimæ Societatis; quæ sub Nomine IESV per vniuersum Orbem propagata est. *Et infra addit: Lætabatur summus Pontifex videns novos hosce Operarios missos ad excolendam Vineam Domini, nullis laboribus, nullis periculis, aut animo frangi, aut à cœptis retardari; ideo publico diplomate hanc Sodalitatem Nomine IESV conspicuam confirmat (scilicet Paulus III.) varijs Priuilegijs commendat, vt in omnibus Officijs pietatis, & Religionis Romano Pontifici peculiariter se, suam-*

Iesuita  
Petri Sedem  
illuſtrant,  
& in Lu-  
therum ar-  
ma diuini  
eloquij  
parant.

Sunt Chri-  
ſtianæ fidei  
præclarissi-  
mi bucci-  
natores,  
verbo, &  
exempla  
cunctis  
prælucent-  
es.

Propugna-  
cula, ac  
noua præſi-  
dia ab hæ-  
reticis  
frustra  
impetita.

Noui Ope-  
rarij miſſi  
ad exco-  
lendam  
Domini  
vineam.

suamque operam pollicerentur, ipsiusque iussu quidvis periculorum, ac laborum in religione propaganda subirent, & quocumque demum terrarum; ad infidelium errantium, ac peccatorum instructionem & conuersionem, ab eo mitterentur, mox absque omni contradictione, etiam non petito viatico, tanquam à Christo missi proficiscerentur; & ab his pulcherrimis Institutis edocti vocarunt Societatem IESV, eiusque Nomen ad extremos vsque Indos, Æthiopes atque Antipodes diffuderunt. Huius Sodalitij præclarissima trophæa, domi forisque parta testantur nostri temporis omnes pene Historiographi. *Et postea subdit.* Si quid reparatæ pietatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ habent Germani, Galli, & Angli, id profecto debent pijsissimis Patribus Societatis IESV; illis grates referat India, quod tenebris sepulta iubar sydereum Euangelij conspexit. Quibus vero, ac quantis rerum discriminibus perfungantur, satis intelligit, qui noui Orbis Historias legere dignatur. Hæc iusti voluminis magnitudinem desiderant. *Et postmodum in eisdem Scholijs ad Constitut. Gregor. XIII. fol. 781. ubi his conformia non dissimili eloquentia describit.* Hinc *(inquit)* colligimus quantum commodi, & utilitatis Reipublicæ Christianæ aduexerint Societatis IESV Patres in erudienda iuuentute, ex cuius educatione, vt messis spes in semente posita est, reliquæ vitæ expectatio dependet. Quamobrem, vbique tanta, tamque præclara illis structa sunt Gymnasia, quæ profecto vera sunt Pietatis, Religionis & Doctrinæ Asyla, ad quæ furentibus hæreticis & ignorantia monstros, confugiant omnes. *Et postea ad Constitut. eiusdem Greg. XIII. fol. 791. subdit opportunissime.* Quæ utilitas suborta sit Ecclesiæ Catholicæ ex Venerando Nominis IESV Sodalitio, testantur tot præclara monumenta pietatis & eruditionis per orbem relicta, tot insignia Archigymnasia, quæ superius enumerauimus; ex quibus, & moribus & doctrinæ hominum consulitur, vt nulla Regio eorum laboris inscia sit. Taceo populos barbaros in India Occidentali, Brasilia

Romano Pontif. se suamque operam pollicentur ad religionis propagationem.

Et IESV Nomen vel ad extremum Orbis diffuderunt.

Illis Germani, Galli & Angli reparatam pietatem, Indi Euangelij iubar debent.

Christiana Resp. iuuentutis eruditionem.

Eorum Gymnasia pietatis, religionis & doctrinæ asyla.

Quanta Ecclesiæ utilitas ex eorum laboribus suborta?



*Hereses  
maiori ex  
parte con-  
cussa.*

*Remotique  
Principes  
ad Pontifi-  
cis obedi-  
entiam per-  
ducti sunt.*

*Societas  
Ecclesia  
renouatrix  
multa infi-  
deliū mil-  
lia ad illā  
conuertens.*

*Est Olym-  
pus emi-  
nentissimus  
veritatum.*

*Armarium  
scientiarū.*

*Schola vni-  
uersalis no-  
titiarum,*

*& energia  
ardens dis-  
cursuum.*

*Spongia sa-  
era crudi-  
tionū, ima-  
go gloriosa*

*dotū, Cli-  
mag; felix  
intellectū.*

*Obiectū sa-  
ma, dolor  
inuidia. ac  
calcar a-  
mulationis.*

regione, & noui Orbis insulis ad veritatis lucem eorum ope-  
ra edoctos, infideles baptizatos, hereses Germaniæ maiore  
ex parte concussas, & longe à nostro orbe remotos Principes,  
ad pedum oscula Summi Pontificis perductos, & innumera  
illa vitæ discrimina in publicum commodum exantlata, quæ  
dignissimis hisce Priuilegijs pensare esse operæ pretium Sedi  
Apostolicæ visum est. Hęc omnia breuissima adeo verborum  
serie complecti nequeunt, de hac conscripta sunt integra  
commentaria. *Hucusque Iurisconsultus sapientissimus in summam  
Sociorum, ac Societatis commendationem, & laudem. Hoc tanti  
viri iudicium: hoc de Jesuitarum virtute, zelo, ac literis satis cèle-  
bre testimonium.*

30. \* A DIDACO PEREZ Doctore Barcinonensi. In no-  
stris (inquit) temporibus quinquaginta abhinc annis (tot  
tunc anni erant post Societatem fundatam) tantum illa renouauit  
Ecclesiam conuertens infidelium tot decies centena mil-  
lia tam in Oriente, quam in Occidente, vt si ex vna parte  
defraudatur Ecclesia, ex alijs decuplo maior, imo & centu-  
plo illi fiat accessio à Domino. *Hęc ille apud P. Euseb. Tom. 1.  
vitorum illustr. Soc. in vita S. Ignat. P. N. cap. 1. fol. 2.*

31. \* A FRAN. IGNATIO DE PORRES Scriptore  
nostri seculi in vulgari linguā non vulgariter floridissimo: qui Tom. 1.  
Quadrages. in Dedicatoria ad Societatem ipsam, per plura folia eius  
encomia prosequitur. Religio (inquit) Sacra Societatis IESV est  
Olympus eminentissimus veritatum, Armarium Sacrum  
scientiarum, Schola Vniuersalis notitiarum, Energia ardens  
discursuum, Spongia Sacra eruditionum, Imago gloriosa do-  
tum, Clima felix Intellectuum, Obiectum famæ, Dolor in-  
uidiæ, Calcar æmulationis. Si vellem Elogia adaugere, aut  
presumerem breui charta concludere, Generalia numerarem  
studia, quæ Societas IESV regit, ab ijs, quæ eius sollicitudini  
serenissimus Rex Lusitanus Ioannes III. Conimbricæ conere-  
didit, ad ea quæ eius doctrinæ Matrini tradidit gloriosissimus  
Imperator triplicis Mundi Philippus IV. Vniuersitates item  
recen-

recenserem quas gubernat, ab ea, quam Eboræ Lusitanâ fundavit magnificentiâ Religiosissimus Rex Henricus, ad eam, quam Pragæ zelo Catholico inuictissimus Imperator Matthias erexit: sed hoc esset materiam laudis efficere, quod oculis subiectum est, ad numerumque et si grandem Scholarum redigere, quod illi debent Vniuersæ. Tam discipula labiorum eius fuit semper America, quàm est eius scriptorum Europa: tam bellè micarunt sapientiæ eius flammæ aduersus Asiæ errores obscuros, quàm gloriosè illustrent obstinatas tenebras Africæ. Eadem reuerentia eius linguæ attendit Moguntia, ac eius calamo attendit Complutum: eadem dulcedine ab eius ore pendet Vienna, sicut ad eius vbera genitæ Lutetiæ: eodem respectu eius verba excipit Mecina, ac eius discursus extollit Roma. Veritas hæc est, Mirandum vero quod magnitudo sapientiæ Societatis vel ab eius inceperit incunabulis. Felix Nilus, quem nemo exiguum reputat, quia eius ortum ignorat: omnes magnum venerantur, quia eius nemo vidit originem. Sola Sacra Societatis IESV Religio ab infantia suâ eadem gaudet æstimatione, quia heroica, & easdem patitur inuidias, quia Grandis. Vix Romæ natæ splendide illæ luces Ignatianæ prudentiæ, vix radij Xaueriani fulgoris Orientem collustrant, cum pro sapientiæ Oraculo Tridenti habebatur Iacobus Laynius: cum ad sapientiam Petri Canisij stupebat Germania, cum pro suo Magistro Alfonso Salmeronem acclamabat Italia: vix Sacræ huius Religionis nomen auditum, quando iam disertis sapientiæ eius flammis ardebat Hispania, quando Catholicis eius discursibus capiebat animos Gallia, quando aduersus doctos eius veritatum conatus armabatur septentio, quando occupata iam fama in eius gloriam, inuidia in eius damnum, plausus in eius admirationem, ac mundus totus plenus erat eius sapientia. Non fuerunt Societatis IESV intellectus radij ad vnicum ictum fabricati, aut vnico splendore destinati, sed stellæ accensæ æternitatibus: Hodie illuminant, sicut semper

*Laudatur  
ex Vniuersa  
sitibus,  
quas regite*

*Et ex sa-  
pientia ab  
incunabu-  
lis.*

*Testes Lai-  
nius Tri-  
denti, &  
Canisius in  
Germania.*

*Salmero-  
nius in  
Italia,  
alij in Hi-  
spania, &  
Gallia.*

*Hi non Ra-  
dij, sed stel-  
lae accense  
æternitati.*

*Societatis  
sapientia  
ideo magna  
quia inun-  
data san-  
guine.*

*Schola  
Martyrum.  
Tormenta  
in illam  
destinata  
vbique ter-  
rarum enu-  
merantur.*

*Et omnia  
penè maria  
Sociorum  
sanguine  
cruentata.*

illuminarunt. Magna quidem Societatis sapientia, quia semper vixit inundata sanguine: semper qui plus intelligit, magis vexatur, quare ea ut sapientum infigne æstimanda, quæ fuit Schola Martyrum. Contra hæc Societatis robora suas tempestates fremens ac furens excitauit mare, Terra dolos parauit, Oriens idololatriam suam eructauit, canebes suos retorfit Monomotapa, sagittas suas venenauit Brasilia: suum enses distinxit Æthiopia, petras suas obstinauit Ternate: dissoluit venena sua Amboinus, incendit rogos suos Meacus, leuauit Cruces suas Iaponia. Aperire Terrarum finis incipit Castella, eiusque vestigia sequi Societas, cuius filij eandem Coronas meruerunt. Vix est vllus in Occidente angulus, qui non sit horum fortissimorum heroum sanguine purpuratus: eorum Trunca remansere corpora, brutâ Mexicanorum ferocitate, secta fraudulento Floridæ furore, sagittis cooperta in incultis Mindanai solitudinibus: venenis tandem stupida in illo turpi viperarum sinu Luzonis antiquæ. Haud minus huiusmodi sanguine cruentus currit Oceanus. Lingua huius veritatis est mare balticum in Sueciæ Martyribus, & in Ormuz mare Persicum: testis est vastitas illa Brasiliæ sinuosa, sacris diues spolijs, quæ suis in fluctibus ferrum hæresis barbarum disperdidit: testes etiam sunt Insulæ Palmaris ripæ Sociorum quadraginta tinctæ cruoribus, qui in fidei nostræ contemptum à Caluini discipulis occisi: vidit mare, ô Religio magna, totum vndarum sedatum impetum gloriosis filiorum suorum cadaveribus. Nec ebullit hodie minus ouans in venis eius sanguis, qui in præteritis sæculis effusus copiose. Nequit cura ad numerum redigere, nec ad victoriæ notitia, qui innundauit Angliam. Vel recens adhuc sanguis est, quem Paraquaria in montuosis recessibus suarum solitudinum effudit: calidus adhuc est, quem inter incendia sua exhaustit Iaponia, quem gelauit Catayus inter suarum niuium rupes ac saxa, quem bibit inexhausta ruinarum sitis Gustau. Ast quando non prælucent barbaris gloriosi Ignauj filij? quando

quando non sapiunt? quando non patiuntur? Hæc ille, & quidem ad Societatis commendationem elegantissime.

32. A LUDOV. MAIORANO GRAVINAS Lib. 2. de vero Dei cultu cap. 17. Nobilissimum (inquit) Societatis IESV Institutum suppeditasse Ecclesiæ homines nihil non molientes in sanæ doctrinæ tuitionem, & profeminationem, eiusque Operarios optimis moribus, & scientia instructos per totum fere Orbem insigniter promouisse Dei gloriam; multaque sancte, & generosè molitos, ex quo cælitus ad instaurandam, & propugnandam labentem Ecclesiam aduenerunt. Ita apud P. Reynaud. in Trinit. Patriarchar. fol. 598.

1j optimis moribus ac scientia instructi insigniter Dei gloriam promouent. Et ad propugnandam, propugnandamque labentem Ecclesiæ.

33. ADVACENSI Iuvene, qui cum Parentibus suis esset admirationi ob insolentiam vitæ pristinæ, sic iam pœnitens exclamavit. Quid admiramini? Dæmon ipse istorum Patrum manibus conuerteretur ad meliora. Tanta de Iesuitis opinio vel apud hominem perditissimum. Ita in Annal. Soc. anno 1609. fol. 239.

Ecclesiæ litus misit. De illis celebre dictum.

34. \* AB STEPHANO GARIVAY Historiographo Peruanus in Compendio Histor. Reg. Hispan. lib. 30. cap. 75. Omitto (inquit) res æterna dignas memoria, quas toto Orbe præstitit Societas IESV ad fidei Catholicæ amplificationem, propagationemque, quibus exarandis, nec solertissimi scriptoris stilus quamuis exercitatissimus, par esse possit: prius enim egregia Societatis facinora scribentem, tempus & vita deficeret, quàm materia. Certe volentem me in lucem edere quam plurima ad præclaram illius Religionis commendationem prohibuit ex ipsa Societate non nemo, cuius desiderio, & modestiæ nunc faciendum satis existimaui. Aliàs ego opportuno loco & tempore propensæ meæ in Societatem voluntati faciam satis. Hæc ille.

Societas commendatur ex fidei amplificatione per totum orbem.

35. A IOANNE SANCHEZ Doctore Theologo, & Iuris vtriusque peritissimo in suis selectis disputationibus: Vbi postquam varijs in locis, Societatis Auctores miris extulisset encomijs, tandem disput. 43. num. 16. agens de P. Thoma Sanchio in rebus Moralibus vere

Et ex singulari filiorum sapientia.



Phœnice, hæc inter alia scribit: Mira ergo Dei largitas lucem & sapientiam communicantis huic Doctori ostenditur modo, dilectio excedens erga sacram Societatis IESV Religionem elucet, cum tot tantoque filios sapientia, & literis præditos ei præstiterit, & inter illos hunc Thomam Sanchez Gigantem exhibere fuit dignatus. O maximè dilecta Deo Religio, intende, prosperè procede, & regna.

Est Religio  
maxime di-  
lecta Deo.

Pf. 44. 5.

Ecclesia  
lumen;  
Acies, cuius  
nomen In-  
feri hor-  
rent, &c.

36. \* A BARTHOL. XIMENEZ, qui in *Proverbiorum suorum Moralium Dedicatoriâ ad Collegium Imperiale Societatis Matritense, Societatem Ecclesiæ lumen appellat, nec non* &, *Acicem, cuius Nomen inferi horrent, tellus adorat, ac cæli reuerentur.*

Soeij ani-  
mos habent  
multis  
Indijs con-  
uertendis  
pares.

37. A DIDACO GOVEA Doctore Lusitano. Cognitum à Parisijs habuerat Ignatium ac socios, eorumque virtutem ac destinata vehementius probauerat, anxioque Regi Ioanni III. De Orientis conuersione, ac de subactarum illarum gentium salute cogitanti, vnde in eam rem operas expediret, Societatem indicauit, asserens, Nouum illud hominum genus altum quidem spirare, animosque afferre multis Indijs pares futuros. Ita apud P. Rho in sua varia Historia lib. 5. cap. 8. n. 8.

Ad Socie-  
tatis com-  
mendatione  
integer  
liber ne-  
cessarius.

Pulchra  
Eius de-  
scriptio.

In omnes  
Orbis par-  
tes magno  
fructu per-  
uaserunt  
filij.

Sunt viri  
Apostolici,  
zelo Dei  
inflammati.

38. A IOAN. MARIA NOVARIO In sua lucerna Regularium fol. mibi 134. n. 1. loquens de Societate ait; Cuius Religionis encomia, si recitari vellent, non simplex pagella, sed integer liber esset necessarius &c. Et n. 13. subdit: In his præcipuè sita est Societas, legendo, concionando, disputando, proximum iuuando, tum inter fideles, tum inter infideles atatem absument. *Pulchra sane Societatis descriptio.*

39. A IVLIO ROSCIO, Societatis (inquit) fructus tantus extitit in Religionem Christianam, vt pene nulla sit Orbis terrarum pars, ad quam non Ignatij nomen, vel alumnum eius vox viua peruaserit. Sic ille in vita doctissimi Nauarri.

A MAMBRINO ROSEO, Socios vocitante, viros doctos, inflammatos zelo Dei, atque immensa charitate, & viros Apostolicos. Ita ille Par. 3. Hist. lib. 3. ann. 1540.

41. A PEREGRINO Nobili, qui ab Urbe in Patriam reuersus, quærenti quid vidisset Romæ pulcherrimum? Societatem IESV, respondit. Ita apud omnes florebat Romæ Societas. Sic refertur Par. 2. Hist. Soc. lib. 7. n. 12.

Pulchrum de Societate dictum.

42. A PETRO ESTEVARTIO Academiæ Ingolstadiensis Procancellario, & Rectore in Apolog. pro Societate ann. 1593. fol. 21. Hæc (inquit) vnica, & præcipua causa est odij vestri (cum Hæreticis loquitur) in Patres Societatis IESV, omnesque eorum Patronos & amicos, videtis enim salua Catholica doctrina ita defensa, quemadmodum à Societatis IESV hominibus publicè docetur, promulgatur, propugnatur, omnes hæreses labi & corruere: propterea Consilia, ac leuitatem vestram, vosque vt homines nihili, & vilissimos despici, ac contemni, &c.

In illam Hæreticorū odiam.

Quia eius doctrina hæreses labuntur, & corruunt.

43. \* AB ALEXANDRO DE ROS Decano, & Canonico Tortosæ Protonotarioque Apostolico in sua Catalaunia fol. 440. ubi postquam in Sacratio Montis-ferrati Ignatium ante Virginis aras suspendentem arma, & Minoresæ corporis impetus domantem depinxit, statim subdit: Catalaunia denique natale solum est magnæ Societatis IESV, quæ vnicius sæculi spatio Scholas viris doctrinæ laude præstantibus Orbem Heroibus Apostolicis Ecclesiam propugnantibus, Cælum sanctis impleuit. Sic ille in citata sua Catalaunia vulgari lingua typis edita Neapoli ann. 1646.

Vnico sæcula Scholas viris doctrina præstantibus,

Orbem heroibus Ecclesiâ propugnantibus & Cælum sanctis impleuit.

44. A IOAN. BAPT. FRANCES Archidiacono, & Domino de Balpuesta Doctore Canonico Burgenfis Ecclesiæ in Censura ad Tom. de Incarnat. P. Bernal. Germana, inquit, est proles Societatis, in qua nihil mediocre, omnia prodire magna, &c. Toto hoc sæculo cateruatim libri de genere Giganteo prodire: omnes apud viros doctos tanti habiti quantum copiosæ Bibliothecæ testantur, & licet semper abundantia in semetipsam contumeliosa sit, vt Tertulianus loquitur, & rebus raritas pretium faciat, vt Bernardus, perinde tamen amantur, & æstimantur, ac si rari; perinde abundant, ac si nihili haberentur, &c.

Nihil in ea non magnum.

Eius sapientia præcipue in librorum editione, commendata.

Singularis  
de Societa-  
te eiusque  
Collegijs  
existima-  
tio.

45. \* AB ALFONSO RAMIREZ DE VERGARA Ca-  
nonico Magistrali Ecclesie Conchenfis viro grauissimo, primoque Pa-  
rente ac protectore Collegij nostri Complutensis : is aliquando dixisse  
fertur, se pluris facere vel coqui Societatis amicum esse, quam  
Principis Hispaniæ Magistrum. Et de tali creando tunc ageba-  
tur. Et cum etiam idem Archiepiscopus Toletanus eligi vulgaretur,  
dixit, si mihi talis Archiepiscopatus concederetur, non nisi  
per quatuor annos eum admitterem, in quibus quadraginta  
instituerem Societatis Collegia. Excessus ingentis amoris hic est.  
Sic refertur à P. Petro Saens in sermone funerali. de Eod. fol. 9. & 13.  
typis edito Compluti ann. 1621.

Ab illa in-  
gentes fru-  
ctus Eccle-  
sia subsê-  
cuti.

46. A IOAN. BAPT. CONFETTIO Protonotario Apo-  
stolico Florentino, Theologiæ ac vtriusque iuris Doctore notissimo in  
Summario ad Collectan. litterar. Apostolicar. de Societate loquens. sic  
scribit. Ex qua quidem Veneranda Sodalitate, quæ & quanta  
suborta sit Ecclesie Catholice vtilitas, præclara monumenta  
pietatis, & eruditionis per totum fere Orbem relicta, nec non  
tot insignia Archigymnasia, in quibus & moribus, & doctri-  
næ hominum adeo consulitur, vt nulla regio hodie eorum  
laboris inscia sit, & etiam barbaræ illæ Nationes, quæ in In-  
dia Occidentali, & Brasilia regione, ac noui Orbis Insulis ad  
veritatis lucem, eorum opera eductæ, totque infideles per  
eos baptizati, hæresesque Germaniæ maiori ex parte concus-  
pæ, & longe à nostro Orbe remoti Principes ad Sanctorum  
pedum oscula summi Pontificis perducti, apertissimè testan-  
tur. Vnde Ecclesia ob assiduos labores, innumeraque peri-  
cula, quæ in publicum intrepide subierunt, istius Sodalitij  
professores inter Mendicantium Ordines referre, eosque  
quamplurimis, dignissimisque Priuilegijs decorare, & illu-  
stres reddere merito arbitrata est, &c. Hæc apud Sorbo Tom. 2.  
Priuileg. Ordin. Mend. fol. 212.

Ex Gymna-  
sijs barba-  
rorum, re-  
ductione, &  
Hæretico-  
rum oppu-  
gnatione.

Ignatius  
in signis  
virtutibus,  
& Atleta  
fortissimus.

47. A FLAVIO CHERVBINO Iuris vtriusque Doctore sa-  
pientissimo in Compendio Bullarum summorum Pontificum fol. 229.  
Schol. 1. Pie (inquit) credendum illustrem genere virum Hi-  
spanum

Spanum (*Ignatium*) virtutibus insignem, vnâ cum strenuiffimis Socijs tanquam fortiffimum Athletam promouiffe, vt ſponſam ſuam Eccleſiam aduerſus iniquum Martinum Lutherum, cuiusque ſequaces infeſtis eam hæreſibus afflictaſ, Chriſti fideles à pœnitentia, Sacramentorum frequentatione & Summi Pontificis Romani obediencia auertentes reſtauraret, pœnitentiam prædicando, frequentiam Sacramentorum inducendo, & Summi Pontificis obedienciam præſertim circa Miſſiones ad Turcas, & alios infideles profitendo, &c.

*Eius filij  
ſtrenuiſſi-  
mi, contra  
Lutherum  
& ſequa-  
ces.*

48. AB HIERON. ORMACHEA GVERRERO *Eccleſiarum Lucronenſis, & Albendenſis Canonico Magiſtrali ſcriptoreque erudito. Tom. 1. in Cant. Prolog. 3. num. 192. ubi poſtquam probauit Ignatium velut alterum Paulum ad bonum Vniuerſale totius Orbis, totius Eccleſiæ, Gentilitatis Indiæ, ad hæreſes expugnandas, & Religionem Illuſtriſſimam Societatis IESV in lucem edendam, natum; ſtatim num. 193. ſubiungit.* Præter alios inſignes ſcopos, quos diuina collineauit ſapientia in Ignatij Sanctiſſimi Ortu, & Societatis IESV fundacione hic fuit, vt tam ipſe, quam ipſius filij in hoc ſæculo, atque tempeſtate piam de Beatiffimæ MARIÆ immaculata Conceptione ſententiam promouerent, ſcriberent, prædicarent; impoſſibile erit omnino ad calculos reuocare ſcriptores doctiſſimos, qui intra huius non dum centenarij ſpatium varios, de Conceptione, aut libros integros, aut iuſtos edidere Tractatus, &c. *Et poſtea Cap. 6. num. 64. Non poſſum (inquit) non Sanctiſſimam Societatis IESV Religionem admirari in hoc mutui amoris compage præſtantem. Multa habet hæc Religio inſignis encomia, ſed ob hanc virtutem debet ab omnibus pene adorari; verè operibus & nomine Societas colligata, ita vt in vnoquoque ipſius Religioſo omnem Societatem, & in tota Societate vnumquemque cognoſcas: Ex hoc mutuo inter ipſos amore tanquam ex fonte, & in Sanctitate profectus, & copioſa omni genere literarum ſcaturigo manauit. Si vnum ſolummodo Ieſuitam vi-*

*Ille natus  
ad bonum  
Vniuerſale  
totius Ec-  
cleſiæ.*

*Et ad fun-  
dandam  
Religionem  
illuſtriſſi-  
mam.*

*Qua pro  
ſcopo habe-  
ret piam de  
Virginis  
Conceptione  
ſententiam  
promouere.*

*Quam ſit  
præſtans in  
mutuo  
ſuorum  
amore.*

disti, fac te vnico intuitu totam Iesuiticam adspexisse familiam. *Haectenus ille. Nil sane in mutui amoris Iesuitici commendationem illustrius, nil honorificentius.*

49. AB HONOPHRIO MANESCAL, *Doctore Barcinonense, Rectoreque Parochialis S. Andrea, Tomo suo Concionum, Concione de Circumcis. à fol. mihi 150.* In Angelo (*inquit*) Philadelphiae, qui amorem fraternum designat, hanc Societatem indicari, haud difficile credet, qui aduerter arctissimum amoris vinculum, quo se Patres, & fratres huius Religionis, ob eiusdem Instituti communionem, non sine omnium maxima admiratione complectuntur. Quia vero haec Religio ad praedicandum Christi Euangelium, & Christi fidem missa est, proinde huic Angelo huius Religionis typo, & figura proponitur, &c. Rupertus, Donum intellectus huic Angelo promitti existimat significatum per Clauem David: quod quidem huic Religioni conuenire, quis vsque adeo rationis expers est, quod id non videat? Nam omnium artium, & scientiarum cognitionem, quae decent virum religiosum probe callent, vt ex innumeris Commentarijs in S. Thomam, & Sacram Scripturam, quos quotidie in lucem edunt, constare cuilibet potest. Quia vero sibi tantum nati non sunt, munus docendi sic susceperunt, vt ad hoc videantur nati. Quare merito (*addit fol. 151.*) hi Patres non tantum intra domesticos parietes, sed publicis gymnasijs apertis adolecentes instruunt, & docent maximo cum omnium ingenti fructu, & vtilitate. Videntur dubio procul habere Clauem David, hoc est intellectus donum. Hoc praedicant innumeri eorum discipuli, hoc testantur innumera eorum scripta, quibus Sacrosanctam Theologiam illustrarunt, & alia quamplurima, quae quotidie in lucem prodeunt. Quod vero ad sanctitatem, veritatem, & fidelitatem huius Religionis spectat, certius est, & apertius quam ostendi debeat. Ac primum si de Paupertate agatur, maximè illi conuenit, quod S. Vincentius Ferrer in suo vaticinio praedixit, fore scilicet pauperrimos, quia in singulari

In Angelo  
Philadel-  
phiae desi-  
gnata.  
Apoc. 3. 7.

Habet sapi-  
entia  
clauem.

Quam  
Gymnasijs  
calamo, &  
voce mani-  
festat.

Laudatur  
ex virtuti-  
bus, prae-  
cipue pau-  
peritate,  
Castitate,  
& obedi-  
entia.

gulari paupertatem sic colunt, vt nullus eorum aliquid possideat. Castitas, quam profitentur huius Religionis Patres, admiranda est, modestia maxima, verba eorum graua, & charitate flagrantia. Obedientiam autem sic amplexa est hæc Religio, vt in ea excolenda, & quam perfectissimè exercenda, omnes vires intendat, &c. Honores, & dignitates sic fugiunt, vt eas nec procurare, nec admittere possint, quod ex hac re multa sequi incommoda nouerint, &c. Sic Euangelium propagare cœperunt, vt illuc peruenerit, quo nunquam peruenerat, præsertim in Iaponiam, in qua quidquid religionis, & fidei est, Societas IESV plantauit, Societas IESV rigauit, Deus vero tale incrementum dedit, &c. Hæc præter alia multa à dicto Doctore in Societatis laudem excogitata sunt.

Ex honorũ fuga, & proximorum zelo.

Ex Euangelij propagatione, quo nunquam peruenerat.

50. \* A IOSEPHO MICHELI Vice-Cancellario Ordinis Militaris Constantini Imperatoris in Thesuro Religionum fol. mibi 112. *vbi sic scribit*, Hanc inclytam Societatem, post eius institutionem, suis scientijs Mundo Conseruationem attulisse. Et licet id aliquæ etiam Religiones fecerint, sed non tantum, quantum Societas. Id Orientalis India buccinat, magni Indiarum Apostoli S. Francisci Xauerij, Occidentalis in tota vtraque tanto Martyrum irrigata sanguine, qui sacrum Euangelium prædicarunt, totque barbaras Nationes instruxerunt. Non obmutescant tot Hæreticorum sectæ ab his illustribus sanctisque Viris prostratæ. Omnes scientiarum, ac diuitiarum suarum originem à triumphanti Iesuitarum Schola fluxisse fateantur. Actandem ipsa reliquas Religiones sanctâ excitauit æmulatione ad prædicandum in extera regna, remotasque Prouincias pergendum. Eius Martyres, Confessores, doctique homines, innumerabiles. Ideoque fileo, quia meus calamor impar est ad minorem partem rerum notabilium sacratæ ac inclytæ huius Societatis referendam, de qua vir sanctus cecinit.

Inclyta Mundi cõseruatrix.

Cuius filiorum sanguine vtraque India irrigata.

Cuius doctrinâ Hæreses prostratæ.

A triumphanti Iesuitarum Schola omnes scientiæ suam originem agnoscunt.

*Omnia mutabit, & cernere leta iuuabit:*

*Et tandem caeco lux haec erit tradita saeclo.*

Et quod ad maiorem eius laudem spectat, in omnibus, in quibus Catholica fides agnoscitur, habet Collegia. *Haec unus ille.*

*Societas  
inaestimabilis  
Margarita.*

*Ad Caeli  
honorem,  
terrae glo-  
riam, An-  
gelorum  
gaudium,  
& hominum  
utilitatem.*

*Ad fideles,  
reformandos,  
refranandos  
haereticos,  
& Euangeli-  
um per  
orbem ex-  
tendendum.*

*Splendens  
militia, cuius  
omnes  
filij docti à  
Domino.*

*Ardenti  
zelo nouum  
Christo pe-  
perit orbem.  
Et orbem  
Christianum  
erroribus  
purgauit,  
haeresum  
monstris  
prostratis.*

51. \* AB ALFONSO GOMEZ DE ROXAS Canonico Hispalensi meritissimo, qui in Concione funerali P. Iacobi Granado, initio sic in Societatis ac Sociorum laudem exclamat. O aeterna Prouidentia! O diuinum regimen! quàm subito Ecclesiam ditare decreuit inestimabilis huius clarissimae Religionis Margarita, ad caeli honorem, terrae gloriam, Angelorum gaudium, & hominum utilitatem: ad maius insuper Scientiarum decus, ad nouum sapientiae splendorem, ad reformandos fideles, ad refranandos Haereticos, ad sanctam Sedem Apostolicam, Romanique Pontificis auctoritatem in omnibus Nationibus tuendam, ad Euangelium per nouos orbis extendendum: vetus enim angustus erat animo, ac efficaciae splendentis huius Militiae: cuius veri filij tam edocti à Deo sunt in sua interiori cordis schola, quàm in sua acie experti milites, iuxta illud Isaia 54. Ponam Vniuersos filios tuos doctos à Domino: quod bene oculis perspicitur: ante annum siquidem centesimum tot Sanctos produxit, qui sacris iam coluntur aris, tot utilium scriptorum volumina, ac si in saeculo Ecclesiae primitiuo fundata esset Societas, &c. *At tanto viro (quem noui literis ac virtute conspicuum Societatiq; addictissimum) non poterat Illa encomio minus celebri commendari.*

52. \* A NICOLAO TVRLOT Canonico, & Archipresbytero Namurcensi in Thesaurò Doctrinae Christianae in Praefatione. Sanctus Ignatius (inquit) Fundator Illustrissimae Societatis IESV rudimenta Christianae doctrinae pueris explicabat, & ab suis subditis nihil exigebat auidius, quàm vt se totos huic rei impenderent. Quod haecenus praestitere adeo ardenti zelo, & Christiana charitate, vt Orbem nouum Christo pepererint, & Orbem Christianum innumeris erroribus purgauerint.

gauerint, hæresumque monstra profligauerint, Dæmone, & eius asseclis nequicquam freudentibus.

53. • A FLORITIO RIQVABOVRG, *In Prefatione vite* Contra  
*P. Gasparis Barzei*: *Eo tempore (inquit) quo innumera hæ-* quas sub  
*rum capita pullularunt, Deus Optimus Maximus Societa-* Christi  
*tem excitauit, quæ sub vexillis Christi fidem Christianam* vexillis, vt  
*propugnaret, & tanquam Clypeo Ecclesiæ Catholicæ ho-* Ecclesiæ  
*stes arceret, &c. Nullus Ordo (subdit) in Ecclesia Dei ma-* clipeus fidẽ  
*iori conatu Christi fidem & auidius propagat, adeo vt* propugnat;  
*de eo dici possit, in omnem terram exiuit sonus eorum,* hostes ar-  
*&c.* cer.

54. A FEDERICO IAMOTIO Erudito Germano, *qui in car-*  
*mine Græco-latino ad P. Delrium pro suis de Magia disquisitioni-*  
*bus, sic suum protulit de Societate iudicium, apud P. Auendaño in*  
*suo Epithal. sacro dissert. Proæmial. n. 79.*

*Hinc catus, & prudens vir colligat instita prorsus*  
*Esse Sodalitio fortissima pectora vestro.*  
*Aspera, quæ spectent, & semper ad ardua tendant,*  
*Magnaque suscipiant duro comitata labore.*  
*Sed mihi nec Cætus liceat memorare piorum*  
*Mysterum, placidi IESV de Nomine dictos:*  
*Qui solida virtute cluent, operaque labore*  
*Difficili præstant reliquis.*

*Socij lau-*  
*dantur ex*  
*solida vir-*  
*tute, &*  
*laborum*  
*tolerantiâ.*

55. A IOANN. TAPIA Hispano, *qui inter officiosas absentium*  
*gratulationes non inuenistè in Borgiæ Generalis creatione, illi ex*  
*Vrbe Valentia has literas dedit: Gratulentur cuncti mortales è*  
*terra, cui grates agunt immortales è cælo, ac nominatim*  
*singularem eius erga te indulgentiam collaudent, dum pro*  
*populis, qui tantum corporibus tibi parebant, eos dedit qui*  
*etiam subiecti sunt animis, ad imaginem vnius Trinique*  
*Dei procreatis, vt ipse è dominatu terreno eucheris ad prin-*  
*cipatum caelestem, curandosque, & regendos acciperes ho-*  
*mines quosdam diuinos, nationem eiusmodi, qualem nemo*  
*Regum sortitus est. Ita distant Imperia, quæ humanis confi-*

*Ij. diuinũ*  
*homines:*  
*& Natio,*  
*qualem ne-*  
*mo Regum*  
*sortitus est.*



lijs, & quæ mandantur diuinis. Et ex his, quæ ad imperandum leguntur, lector apparet. Bonum sit, felix, faustumque Paternitati Tuæ onus, per quod mundo peccatorum leuantur onera, munus simillimum muneri Redemptoris. Societas, cui nunquam IESV Societas abest. *Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 1. num. 33.*

*Societas  
opus abso-  
lutissimum,  
fidei propu-  
gnaculum,  
veritatis  
tutela.*

*Arca scien-  
tiarum,  
discretionis  
Thesaurus,  
&c.  
Exod. 31.*

*7.  
Orbis Pa-  
rens, sapien-  
tia Cynosu-  
ra, virtutis  
asylum.*

*Lapidicina  
caelestis,  
presidium  
militantis  
Ecclesie,  
sacra Bel-  
lonæ cohors  
prætoria.*

*Apoc. 21.*

*21.*

*Apoc. 21.  
23.  
Bellatrix  
legio tot  
insignita  
ducibus,  
quot mili-  
tibus.*

56. \* A FRAN. HERRERA MALDONADO : *Canonico S. Ecclesie de Arbas in Epitome Historiali Regni Sinensis fol. mihi 43. vbi ille hoc testimonium præ cæteris selectissimum latine redditum dedit: Salue (inquit) Religiosissima Societatis IESV Familia, Beatissimi viri Ignatij de Loyola Opus absolutissimum. Salue fidei Propugnaculum, veritatis Tutela, Arca scientiarum, Propitiatorium vbi ingeniorum vis perpolitata, discretionis Thesaurus inexhaustus, puritatis mundities niuea, seruantur recondita. Salue iterum Orbis Parens terrarum. Quotquot enim hac luce fruuntur his omnibus vitæ rationalis lucem afflas, & æternæ iter ostendis, tum omnigenæ præceptis sapientiæ, cuius es Cynosura fulgentissima, tum totius disciplina virtutis, cuius es Asylum tutissimum. Lapidicina caelestis, è qua tot excinduntur summi pretij lapides rutilantissimi, qui radiantium more astrorum exornant portas supernæ Ierosolymæ, Cuius immaculatus Agnus est lunien innociduum. Præsidium Militantis Ecclesie, Sacræque Bellonæ Cohors Prætoria: Bellatrix Legio tot insignita Ducibus, quot militibus, quorum vnusquisque maxima fortitudinis, & militaris prudentiæ laude non tantum militis, ac Centurionis, sed Imperatoris munus in his Dei Castris recte valeret exercere, Quænam virtutum insignia in tuis non effulgent Alumnis? quæ lux prudentiæ, quis sanctimoniæ splendor, quod scientiarum decus, & ornamentum in illis desideratur? exemplar sunt totius religiosæ perfectionis, totius vrbane conuersationis. Omni remota dubitatione in ipsis, & ipsorum ductu, exemploque assero vitæ rationalis fructum, atque dulcedinem capere tuarum Academicarum familiares, ac studiosos*

vniuer-

vniuersos. Omni igitur Te laudum præconio extollant,  
 qui huius vitæ, quique politicæ notitiæ lucem hauserunt,  
 cum quidquid scientiarum in ijs effulget, quidquid meriti in  
 ijs elucet, quidquid præmiorum iam adepti sunt, id omne  
 ex tui disciplina, labore, & solertia in edocendis omnibus  
 hauisse cognoscunt. Parens, ac Patria recte diceris om-  
 nium, quos materno sinu foues, exerces industria, ac saluta-  
 ribus imbuis documentis. Vix pauculos numerabas ætatis  
 annos, cum totius tum Christiani, tum Hæretici, tum Eth-  
 nici Orbis famulatum, non imperium exultans suscepisti, di-  
 uinæ gloriæ & animarum saluti ancillata. Orientem, occi-  
 duumque solem æquis æmulata passibus, quæ arces Hæresim,  
 quæ Idola conteris, quæ errantes instruis, quæ vitiorum pha-  
 langes & agmina in tenebricosa lustra profligas; vbi que scu-  
 tum fidei, vbi que Asylum Iustitiæ, Gladius Spiritus, ac Ter-  
 ror spirituum tenebrionum. Nonne Alumnos tuos IESV  
 socios, verè Seraphim dixerim, qui alarum suarum integu-  
 mento fidei nostræ Arcam non tam contegunt, quàm prote-  
 gunt, & Sacramenta vtriusque paginæ non tam velant, quàm  
 explicant? Nonne seniores dixerim illos, qui adstant ante  
 Thronum Dei, & armoniosis Sacrarum Concionum Cytha-  
 ris suauissimum diuino Agno concinunt carmen? Nonne  
 vigiles Salomonis Leones, qui insidenti in Throno Regi assi-  
 dent Custodes? ac milites strenuissimi? Nonne exundantes  
 Fluios, qui decorant, & ad tutelam ambiunt Ecclesiæ veluti  
 exelsæ Urbis mœnia, non tam pleno scientiarum alueo, quàm  
 exuberante effusi propter Deum sanguinis eluione. Quo-  
 rum diuinorum testium, ac Martyrum numerus supra cen-  
 tesimum & multo plures excrescit. Quæ nam Mundi plaga,  
 vbi non videantur altius impressa vestigia laborum tuorum,  
 sudorum, & sanguinis, quibus irrigata tellus animorum gem-  
 mascit in flores, maturescit in fructus, flauescit in segetes, ac  
 scientijs enitet Alumnorum tuorum? Tu Turris illa Dauidi-  
 ca tot instructa Clypeis, quot pignoribus aucta, ac filijs  
 propu-

*Laudatur  
 ex Alumno-  
 rum insigni  
 virtute.*

*Et scientia-  
 rum decore.*

*Est Parens,  
 ac Patria  
 omnium.*

*Diuina  
 gloria, &  
 animarum  
 saluti an-  
 cillata.*

*Solis æmu-  
 la arcens  
 hæresim,  
 errantes  
 instruens,  
 & agmina  
 tenebrionum  
 profligans.  
 Eph. 6. 17*

*Vbiq; scu-  
 tum fidei,  
 asylum iu-  
 stitiæ, gla-  
 dius spiri-  
 tus, &c.  
 Isai. 6. 2.*

*Eius Alum-  
 ni Seraphim  
 Arca, se-  
 niores ante  
 Dei thro-  
 num, leones  
 vigiles Sa-  
 lomonis.*

*Apoc. 4. 4  
 2. Par. 9.  
 19.*

*Exundantes  
 fluij velut  
 excelsa  
 mœnia Ec-  
 clesiam  
 ambiunt.*

*Ipsa Turris  
Dauidica  
tot instru-  
ta clypeis  
quot filijs.  
Cant. 4. 4.  
Victrix  
hæresum,  
gentium &  
ignorantiæ.  
Columen  
labentis  
Christianæ  
Reip. ful-  
crum, &  
Basis sur-  
gentis Ec-  
clesiæ.*

*Alata  
Familia O-  
rientem, &  
Occidentem  
peruolans.  
Geminis  
charitatis  
in Deum,  
& proxi-  
mos alis.*

*Iesuitarum  
quantus  
numerus?*

propugnata, qui quod calamo, & atramento exarant, id vitæ sanctimonix & sanguinis purpura contestantur. Tu quamplurimas narras contra Gentes victorias, quamplurimos contra Hæresim triumphos, quàm plurimos contra ignorantiam Doctores, qui exarantibus plusquam trecentis calamis quasi explosis bombardis Ecclesiæ transfugis, ac perduellibus mortem minantur, & inferunt, nisi calamos illos arduentes vocaueris faces inscitix noctem, quæ toti iam Orbi atra incubuerat, propullantes. O labentis Christianæ Reipublicæ Columen! ô Fulcrum, & Basis surgentis Ecclesiæ, quæ inclinata olim, nunc firma, ac tuta persistit. Nec me angit scrupulus gratis ex cordis affectu ac beneuolentia tantummodo tot in te decora, tot laudum præconia congessisse: testor Orbem vniuersum, testor omnium oculos ipsos, quibus tot illustria virtutum stemmata, tot præclara facinora vbique vulgo obseruantur, adeo vt sine rubore ac censura mendacij pernegari non valeant. Age porrò ac mentis oculos infer in omnem terrarum Orbem, siue vbi sol occidat, siue vbi rediuius Caput vndis attollat, siue vbi ad maiorem & minorem Vrsam deflectat, illuc pernicibus alis peruenisse reperies alatam hanc Familiam, alis, inquam, illis geminis igneis charitatis in Deum, & proximum, nec vnum, aut alterum sterili numero reperies socios IESV, Ignatij Alumnos & asseclas, supra quindecim, ipsorum millia, quingentos & octoginta duo enumerabis in centum fere Collegijs, ac Professorum, ac Nouitiorum Domibus distributos, & quasi in castra digestos ad bellanda noua bella, quæ elegit Dominus. ô incrementa virorum vnà ac virtutum, quibus adulta Societas IESV totius Orbis ambitum incolis, vt excolas tanto ipsius Orbis bono, tantaque Parentis optimi, ac sanctissimi Viri Ignatij voluptate, qui ex illa editissima cœli specula, filiorum suorum gratulatur laboribus, & præmia ex Aman- tissimo Patre familias Deo pollicetur. Salue Parens sanctissi- me, & iterum salue Ignati inçlytissime, tua sunt hæc tuorum filio.

fliorum elogia, tua decora: sed quoniam in tanto gloriae, ac laudum solo fluctuans inuenior, silentij anchoram cogor iacere, & silens ac Venerans hanc augustissimam Familiam IESV Societatem, filiolum tuam dilectissimam, & laudibus ne eam deteram, & mihi ne impar deficiam, optimè consultum existimabo. *Quid hoc Testimonio grauius, aut Societati honorificentius?*

Quorum  
elogia  
Ignatij Pa-  
rentisenco-  
mia sunt.

57. A PETRO NAVARRA *Scriptore satis apud omnes noto lib. 2. de Restitut. cap. 3. num. 60.* Exemplo (inquit) Ducis IESV, vt multos fratres in gloriam adducant (*Iesuita*) mortem non dubitant oppetere, & vt veri Apostoli pro Euangelij prædicatione, per passiones consummati, intelligentes se meliorem habere resurrectionem, & manentem substantiam. Quorum Sanctissimorum hominum egregiam virtutem & eximiam in omni genere, vel sapientiam vel pietatem, non prosequimur: nam neque id agimus modo, neque oportere existimamus eorum laudem nostris indignis vocibus efferre, quæ non vno in loco, Vario & obscuro sermone aliquorum, sed omnium clarissima & vna voce, toto orbe perfertur. *Hæc ille apud Euseb. de doctrin. Ascet. lib. 1. cap. 60.*

Iesuita vt  
veri Apo-  
stoli pro  
Euangelij  
prædicatione  
mori nō  
dubitant.  
Hebr. 10.  
34.

Homines  
sanctissimè  
egregia  
virtute,  
eximia sa-  
pientia, &  
pietate.

58. \* A LVDOV. CABRERA *Cordubensi in præfatione ad Letorè pro Historia Orientali à Doctore Christophoro Suarez de Figueroa conscripta.* IESV Societas (inquit) animarum lucro pro more intenta, Ducis sui Euangelium, charitatis & obedientiæ alis elata, sic per totum terrarum Orbem circumtulit, vt Nominis sui splendore, & illecebris in admirationem amoremque mortales omnes rapuerit. Factumque vt Ecclesia Catholica eius doctrinæ radijs illustrata, nouum robur, fulgoremque acceperit. Non minus laudanda tempore pacis, pijs ad populum concionibus, & Sacramentorum frequentatione partuatur, quàm cum indicto bello, ex tenebrarum Principis tyrannide innumeras mortalium animas ad partes Christi traducit. Deus Optimus Maximus nunquam non in Ecclesia egregios Atletas suscitauit, qui nouos hæresum auctores op-

Societas  
intenta  
animarum  
lucro.

Charitatis,  
& obedien-  
tiæ alis  
elata Euā-  
gelium per  
orbem cir-  
cumtulit.

Eius do-  
ctrina ra-  
dijs illu-  
strata Ec-  
clesia.

Ggg prime-

Ignatius  
Hispania  
decus cla-  
rissimum,  
Luthero  
oppositus.

Et Societas  
sãcta, æque  
ac doctã.

Ille Atha-  
nasio com-  
paratus.

Eius filij  
fortissimi  
Christi  
milites.

Quorum  
doctrina &  
sanguine  
diues O-  
riens.

Et totus  
Orbis.

Societas  
pædicatur  
Neomagi.

Item in  
India.

primerent: & vt ceteros omittam, Luthero opposuit Ignatium Hispaniæ decus clarissimum, & eius Societatem sanctam, plane ac doctam, æquè humilem ac pœnitentem, nec minus charitatis operibus, quàm diuinarum contemplationi intentam. Quem satis laudauero, si Nazianzeni de Athanasio verbis vtens dixerò, Ignatium & virtutem ipsam, iisdem plane laudibus condecorandum, cum virtus ipsa & Ignatius nihil inter se differre videantur. Cæteris Religiosorum Ordinibus, quamuis viros virtute & scientia claros affatim habeant, nihil cedit Ignatius, vtpote ostentans Socios, seu fortissimos Christi milites, qui ad remotissima terrarum, & ferocissimas gentes per mille maris pericula delati, Martyriorum, & persecutionum genera omnia perpessi, æternitatem Nominis merentur. Testis Oriens Societatis sanguine, & doctrina diues: testis Septentrio ab erroribus toties defensus, toties fuso Sociorum IESV cruore nobilis: testis Gallia, Belgium, Germania, Anglia, palmarum & laurorum feraces, quibus tot victorias compensant. *Elogium sane Socijs ac Societati gloriosissimum.*

59. A REINOLDA Vidua opinionis sanctitate inclytã, que Canisio studio pietatis addicta Neomagi, vt partem suam vnicè diligebat. Quem cum in deligendo vita genere fluctuantem animaduerteret, diuino instinctu afflatuque, tale ante Societatem cognitam Oraculum dedit. Tu, inquit, fili, coaptaberis in nouum quemdam Sacerdorum Ordinem, quem in Ecclesia sua multorum in salutem parat Deus. Eos ego per visum vidi, & te ad eos adiungi. Graues erunt viri, docti, modesti, Deo pleni, & animarum charitate præditi. Bono igitur fac sis animo, & spe huiuscemodi te sustenta: nam breui à Deo poteris hoc dono. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 4. num. 34. Vbi licet nomen huius Vaticinantis viduæ Sanctissimæ non exprimat, bene tamen apud Imag. 1. sæc. Societ. lib. 6. fol. 729.

60. \* A CONFESSORE Vazci Gama insignis Lusitani, qui non obscure Nostrorum aduentum multo ante prædixerat dicens,  
Ventu-

Venturos in Indiam Clericos vnus nouæ Religionis in Ecclesia Dei fundandæ illarum Nationum bono. *Euentusque verum Vaticinium probant. Ita Tom. I. viror. Illust. Soc. vit. S. Xauer. cap. 4. fin.*

61. AB INCOLA ÆTHIOPIÆ, *Qui antequam ope Nostrorum Christo adiungeretur, asseueravit etiam, apud Gallas agens (Populus Æthiopiæ præ cæteris barbarus) Venturos eò breui Sacerdotes albos, qui Æthiopiam errorum plenam, aliam legem essent edocturi. Sic apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 1. cap. 2. fol. 64.*

*Et in Æthiopia.*

62. \* A IOANN. ESCVDER, *Insignis virtutis Heremita, & ob sanctimoniam, & miraculorum patratiorem magni habitus à Valentinis, inter quos ipse vitam agebat; qui in quadam Epistola ad Mosses Pardum, postquam duorum Regum, & aborum Principum captiuitatem recensisset, sic ait: Fæmina cooperta, & amicta sole parturiens magnos edet clamores, & pariet puerum, qui Mundi gubernacula tractabit: hoc est (inquit ipse) super Romanam Ecclesiam noua quædam orietur Religio, designata, vt in Mundum prodeat, & Apostolorum instar annuntiatura Euangelium, admonituraque fideles, vt fidei sustentaculo innitentes, nec persecutiones timeant, nec fascino filij perditiõis: sed vigilantes stent, ne cadant; imminet enim periculum, constitutum in Ecclesia Dei Idolum aliquod, & fortè Pseudo-Pontificem, nisi se ipsum constituat, cogatque in Deum adorari. Tunc apparebit cælestis quidam homo, à quo dissoluentur, enodabunturque Sacræ Scripturæ nodi. Mihi autem persuadeo, hæc omnia breui euentura, nisi sententiam reuocet Deus, vt cum Niniuitis fecit. Spiritus sanctus te custodiat. In Æde S. Christophori de Concen-tayna 23. Octob. 1435.*

*Et in Regno Valentino*

*Sub Mulieris solis amictu specie etiam prædicta*

63. \* A GASPARE ESCOLANO *Iste propheticus sermo dicti Heremite de Societate explicatur egregiè. Par. 2. Decadis I. Historie Valentinorum per hæc verba: Quod asserit de Religione noua, nouisque hæresibus, videtur nobis depingere Martini*

*Lutheri in sequens vestigia eius erroribus opponitur.*

*Euangelium  
in multis  
Orbis Pro-  
uincijs ful-  
sit, in om-  
nibus de-  
clarauit.*

Lutheri hæresim. Hic anno 1517. Caput extulit, habuitque Reges aliquot sequaces, qui in suis Regnis Pontificiam sibi vsurpabant auctoritatem, vt in Anglia. Noua autem Religio forte est Iesuitarum, seu Patrum Societatis IESV, quæ Lutheri insequens vestigia, eius se erroribus opposuit, Euangeliumque in multis Christiani Orbis Prouincijs fulsit, in omnibus declarauit. *Hæc Escolanus Rector Parochialis S. Stephani, Historiographus Regius pro Regno Valentino.*

*Aliud de  
Societate  
vaticinium  
Isai. 18. 2.  
Cuius filij  
Angeli ve-  
loces, Isaiã  
nubes, &  
Columbæ.  
Isai. 60. 8.*

64. A IOANN. FEDERICO LVMNIO: *Qui aliud Societatis Vaticanum in lib. 2. de Extremo Iudicio & Indorum uocatione recognoscit in Isaiã Propheta ad ea uerba cap. 18. Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam: ad populum terribilem, post quem non est alius. Et cap. 60. Qui sunt isti qui vt Nubes volant, & quasi Columbæ ad fenestras suas, me enim Insulæ expectant, &c. Et quidem Lumnius ait, Angelos Sodales nostros vocari, quia deuotione alacres, & spiritu per vastissimi maris pericula Pontificis auctoritate, ad incognitum Orbem transuolauerunt. Nubes propter celerem obedientiam & affluentem uerbi Dei prædicandi, & prærogatiuam & gratiam. Columbas, quia Societas pacifica est, felle caret, simplicitate commendatur, gemit meditando, & Syluestres Columbas domum rediens adducit. Ita apud P. Nigrum. Commentar. Regul. Soc. Par. 3. n. 11.*

*Societas  
maius Ig-  
natiij mira-  
culum.*

65. \* A GVNDISALVO SANCHEZ LVZERO Doctore Canonico Granatensi, & Commissario Apostolico in Concione Beatificationis sanctissimi Patris Ignatiij à fol. 1. ubi ille Societatis, ac sociorum existimationem miris encomijs sequenti testimonio fideliter latine reddito belle confirmat. Certissima, inquit, sanctitatis sanctorum argumenta sunt eorum miracula, maximè cum in eius testimonium patrata sunt: plura equidem hodierna die S. Patriarchæ Nostri sanctitatem patefacere nobis possent: uerum vnum nobis erit instar omnium, id est Societas IESV, quam in Ecclesia Dei instituit, cuius amplitudo Mardochei somno mihi præsignata videtur: in quo cum sibi Regina  
Ether

*Fuit in  
Mardochei  
somo figu-  
rata.*

Esther felicitas exhiberetur, fonticulum vidit, ex quo magnus quidem & altissimus fluuius emanabat, qui in solem transformatus, in plurimos riuulos deriuabatur. Paruulus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit. Iure optimo (*inquit fol. 2.*) omnes Religiosi Ordines, magni Ecclesiæ Fontes appellari possunt, cum salutaribus zeli sui aquis illam fecundarint: inter eos Societas IESV parua quidem (*paruus fons*) & natu minima, sed Ecclesiæ Benjamin in eum excreuit fluuium, qui torum per Orbem sese effuderit. Qui fieri potuit? aperiam: quia scilicet eius aquæ solis omnia perlustrantis radios referunt, & in lucem, solemque, &c. Vnde minimè vulgares Societatis IESV virtutes enitescunt duæ, lux, & puritas, aqua ex sole manans, sol ex aqua Oriens, & in aquas plurimas redundauit; id est in plures fluuios, quorum vnus fluxit ad Germaniam, alius vero in Angliam, vnus ad Iaponiam, alius ad Indos occidentales: vnus ad conciones, ad Confessiones alius mirabiliter illuminando, & purificando permanuit. *Et postea fol. 11. subdit*: O Sancta Societas IESV Candelabrum diuina manu elaboratum, atque de industria efformatum, vt luceat in Ecclesia tot Solaribus radijs, quot te circumuestiuit: quisnam poterit explicare lucem doctrinæ, & Sanctitatis, qua in medijs mundi huius tenebris hodie, na die præfulges: Seraphica certe lingua opus esset: ne cadas animo Religio Sancta, propterea quod Deus ad Aquilonarem portam te collocauit, vt ventis infernalibus agiteris; hoc enim data opera fecit, vt magis ac magis accendatur lux illa magna, & splendor, quo Te decorauit, & vt oculis æmulorum tuorum patefiant altissimi gradus & talenta ditissima doctrinæ & Sanctitatis, quibus te locupletauit, quo tandem pudore suffusi obmutescant, & oblatrare & obstrepere desinant. *Et rursus fol. 12. subiungit*. Dicite mihi, amabo Vos, quisnam Ecclesiam Iaponum, Sinarum, & fere totius Orientis (quo vix vllus Apostolorum penetrauit, aut vestigium reliquit, quod statim non

Esther 10.  
6.

Ecclesiæ  
Beniamin.

Paruus fons  
qui creuit  
in fluxum  
torum per  
orbem sese  
effunden-  
tem.

Ecclesiæ  
Beniamin.

Candela-  
brū diuinæ  
manu elab-  
oratum.  
Exod. 25.  
31.

Doctrina,  
& sancti-  
tatis luce  
in Ecclesia  
præfulgēs.

Que in-  
gruentibus  
persecutio-  
num Aquil-  
lonibus  
magis ac-  
cenditur.

Orientis  
Ecclesiam  
laborum  
expensis  
erexit.



Scientia,  
& Sacra-  
mentorum  
fontes iam  
pene turbidi  
clarificauit.  
Isai. 35 1.

Primum;  
Academijs,  
scriptis,  
pulpitis,  
collegijs, &  
Cathedris.

Secundum;  
exomologeseos,  
&  
Synaxeos  
frequentia.

deleteretur) à fundamentis erexit? quis alius Idololatriam im-  
mensis propemodum laborum, famis, persecutionum, Mar-  
tyriorum, & miraculorum expensis illinc ablegauit, ac expu-  
lit, quàm Societas IESV? quibusnam alijs aquæ-ductibus in  
terras illas inuias & inaquosas, gratiæ suæ Euangelicæ aquas,  
ab Anglis, & cæteris Hæreticis repullas, induxit, & inuexit  
Deus, ita vt lætetur deserta & inuia, & exultet solitudo, &  
floreat sicut lihū, quàm Societatis hominibus? Eius indu-  
stria & sapientia (addit fol. 18.) duo Ecclesiæ fontes scientiæ,  
& Sacramentorum iam pene turbidi, & penè guttatim stil-  
lantes, clarificati sunt, & velut primis Ecclesiæ temporibus  
plenis canalibus iterum cœperunt fluere. De fonte scientiæ  
dicant totius Orbis Academiæ, in quibus ferè soli Socie-  
tatis IESV Scriptores præleguntur: dicant innumera prope-  
modum eorundem Scriptorum doctissima volumina: di-  
cant totius Ecclesiæ Pulpita: dicant Aedes Collegiatae ac  
Cathedrales: dicant omnes Religiosi Cœtus, dicat Christia-  
na iuuentus: dicant & ipsi hostes Hæretici, Societatis IESV  
scientiam deprædicent, & reformident. Dicant Æthiopica,  
Sinica, & Iaponica Imperia: dicant Cambaya, Monomotapa,  
Brafilia, & India Vniuersa, &c. De secundo fonte Sacramen-  
torum (concludit tandem) quis eorum iam pridem exulantem  
frequentiam, & per Societatem IESV reuocatam satis ponde-  
rare possit? Testes appello exomologeseos tribunalia, dicam  
ne pharmacorum omnium ad curandos animi morbos offi-  
cinas? Testes appello sacrae synaxeos paratas mensas, & fre-  
quentissima, vt in Ecclesiæ primordijs, conuiuia: testes appel-  
lo tot Sodalitia mira animorum retia; ô quanta bona no-  
bis pariter venerunt tecum ô Societas IESV! Dicamus ergo,  
& iure optimo, in diebus eius remanauerunt putei aqua-  
rum, &c. Haëtenus inter alia innumera ex tanto Doctore prælibasse  
sufficiat.

66. \* AB ALFONSO VILLEGAS Scriptore notissimo  
Capellano S. Ecclesiæ Toletanae Tom. 1. de Sanctis Extrauagantibus  
sub

sub finem folij mihi 477. col. 2. David Rex, (inquit) Christi Do-  
mini typus fuit, vxores vero illius plurimæ, quibuscum iniit  
matrimonium, Sacras Religiones adumbrarunt, quas ha-  
buit, ac habet Deus in Ecclesia sua. Abifac virgo, quam du-  
xit David iam senex, vt corpus suum frigidum foueret, & ca-  
lesceret, Sacram Societatis IESV Religionem significat; quæ  
senescente & frigescente, & iam pene delirante Mundo In-  
stituta est, vt habetur in Pontificis Pauli V. diplomate ad  
eius confirmationem edito ann. 1543. Præcipuus eius finis  
est exaltatio fidei, & salus animarum: vnde eius exercitia  
sunt, concionari & iuuentutem instituere, fidei rudimenta  
edocere, Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ administrare,  
quibus quidem Corpus Christi mysticum, fideles scilicet fo-  
uentur & amore Dei exardent longe felicius, quàm frigidum  
David calore Sulamitis, &c. Et fol. 484. Concludit. Dico de-  
nique Ecclesiam sanctam à Spiritu S. Sponso suo Aciei Ca-  
strorum bene ordinatæ comparari. In exercitu bellico pedi-  
tes & equites sunt: in Ecclesiæ autem exercitu Religiosi sunt  
Equites, verum Societas IESV est Acies Peditum bombardis  
armata: sunt enim bombardæ non pridem inuentæ: fuit  
etiam Societas IESV nuper Instituta, Bombardæ eminus fe-  
riunt; haud aliter isti Religiosi ex Vrbe Indias, ex occidente  
Orientem quasi vibratis pilis percusserunt, expugnarunt, su-  
perbas Idololatriæ Turres subruerunt, & innumeras nationes  
Christiano Imperio adiunxerunt: bombardæ non nisi tor-  
mentario puluere accenso disploduntur: Ita & hi Religiosi  
diuini amoris Igne inflammati maiorem Dei gloriam anhe-  
lant, & proximi salutem. Hæc ille.

3.Reg.1.2  
Abifac su-  
lamitis  
Mundum  
frigidum  
calesciens  
Eius finis  
fidei exal-  
tatio, &  
animarum  
salus.

Cant.6.9.

Est pede-  
stris Ecclē-  
siæ acies  
bombardis  
armata.

67. \* A CONGREGATIONE CLERICORVM Virgi-  
nis Assumptæ in Collegio Neapolitano Nostræ Societatis erectâ, in  
Compendio vitæ S. Ignatij Italicè scripto, & Hispanicè reddito, &  
Lime typis excusò, anno 1628. fol. 9. vbi illa præclaram Societatis  
famam, & heroica gesta sequenti testimonio commendat eternitati.  
Quamquam (inquit) supradicta omnia maximam S. Ignatij  
sancti-

De toto  
terrarum  
orbe bene-  
merita  
mirabili  
animarum  
fructu.

sanctitatem satis superque comprobant; nihilominus tamen multo magis eam commendant Sacri Ordinis ab ipso Instituti, de toto terrarum Orbe benemeriti præclaræ res gestæ fructusque mirabiles, quos è Filiorum eius laboribus toto Orbe circumfusa, Sacrosancta percepit Ecclesia: scilicet, ex fructibus eorum cognoscetis eos; qui enim fieri possit, ut bona non sit arbor quæ bonos fructus facit? Quomodo Fons ille supereffluens non sit & Deo acceptissimus, ex quo tam brevi temporis interuallo, omnium virtutum, & scientiarum salutaria flumina, ad irrigandam aridæ desertæque terræ faciem emanant? Habet enim Sacra Societatis IESV Religio (ex quo primum Instituta fuit ad hunc vsque diem, octoginta sex annorum spatio) sex supra triginta Prouincias, in quibus octingentas domos & Collegia habet. Religiosos autem toto Orbe, terra, marique dispersos, quindecies mille & quingentos. Habet Doctores quàm plurimos. Habet & in omni scientiarum & facultatum genere scriptores egregios. Habet in vna Europa viginti quatuor minimum Academias sibi concreditas, amica Principum, Regumque voluntate benè firmatas; vbi Societas sola Doctoris lauream impertitur. Habet amplius ducentos Martyres, qui tum ab Hæreticis, tum ab Ethnicis trucidati, pro fide Catholica vitam & sanguinem profudere. Innumeros verò, qui peste infectis insuientes, & ipsi grassante pestilentia sublati sunt. Habet duos in Sanctorum albo, sex autem in Beatorum numero conscriptos: multos etiam in Sacra Rota inter diuos breui referendos: multos præterea vitæ sanctitate & miraculis clarissimos, de quibus perquiritur, ut & ipsi suo tempore in sanctorum Catalogo inscribantur. Iam verò quàm copiosam piscium multitudinem concluderint, hi fideles Christi Piscatores; quot animas in rete Petri contruserint, quis suppetet? cum vnus Xauerius, Ignatio Parente digna proles, ducenta supra decies centena millia infidelium manu sua baptizauit? Nuper autem anno 1626. iussu Imperatoris pernumeratis

*Scatens  
salutaribus  
virtutum,  
& scien-  
tiarum flu-  
minibus ir-  
rigantibus.*

*Commen-  
datur ex  
Prouincia-  
rum multi-  
tudine.*

*Ex Colle-  
gijs, scrip-  
toribus,  
Academijs,  
Martyri-  
bus, &c.*

*Ex copiosa  
animarum  
piscatura.*

*Gentilium  
in Oriente,  
ac hæreti-  
corum in  
Germania.*

qua-

quarundam Germaniæ Prouinciarum Hæreticis, qui ex adulterinis Lutheri plantarijs euulsi, in sanctæ Romanæ Ecclesiæ pomario Filiorum Sancti huius Patriarchæ confiti sunt manu, inuenta sunt quingenta supra decies centena millia. Accedit quod in tredecim Prouincijs, quas obtinet Societas IESV inter Hæreticos, magnum certè Scholasticorum numerum in scholis suis docet, & optimis artibus, omnique virtutum genere instituit, magno labori fructu pari respondente: hac enim ratione ab ipsa pueritia veram & sanctam fidem Catholicam imbibunt, & in ea reluctantes licet Hæreticis conferuantur. Anno præterea 1610. sibi credita quinquaginta supra decies centena millia Neophitorum à suis baptizatorum Societas in India Orientali Christianæ fidei præceptis informabat: exclusis ab hoc numero tum ijs, qui ad illum vsque annum obierant: tum ijs etiam qui postmodum è tenebricosa infidelitatis nocte, ad clarissimam fidei lucem emerere. Taceo infinitos prope quos in vastissimo Æthiopum Imperio tum schismaticos tum Ethnicos Christo adiungere: prætermitto quos in Orbe nouo apud Indos Occidentis in Peruanis ac Mexicanis Imperijs, in Insulis Philippinis, in immenso propemodum Sinarum Imperio, in Mogor, in Africa, in Belgio, in Hollandia, & Zelandia, in Anglia, in Dania, & apud Turcas, è Dæmonum castris ad Christi copias traduxere. Hi enim proculdubio quemlibet numerum superant: quapropter Clemens VIII. Pontifex Maximus, Dextrum Ecclesiæ Brachium Societatem IESV appellauit. *Hæc Congregatio Neapolitana Clericorum nobilissima.*

*Schismaticorum in Æthiopia, & Indorum in Occidente.*

68. AB ALBERTO STANISLAO RADIVILIO; S. R. Imperij Principe Duce in Olyka Cancellario magni Ducatus Lituaniæ anti-que pietatis, & sapientiæ Heroe, & sanctæ Ecclesiæ inexpugnabili defensore, ac bonorum Patrono. Mensis (inquit) Iulius copiosam messem adulta segete declinantis sæculi per Ignatium Loyolam Societatis IESV Parentem collegit, qui tam vetus quam recens zizanium à Lutero, & Caluino profeminatum

*Societas vigens in corruptione morum.*

H h

natum

*Speculum  
integerrima  
Sancti-  
tatis poli-  
tissimum.*

*Spiritali-  
bus incre-  
mentis  
Ecclesia  
horreum  
locupletans*

*Cælo, &  
Orbi fru-  
tuosa, ac  
hostibus  
formidolo-  
sa.  
Cant. I. 5.*

*Laudatur  
cum suo  
fundatore.*

*Ex Missio-  
nibus, &  
alijs mini-  
sterijs.*

natum euellere nititur, Christique, ac Ecclesiæ agrum lolio, ac tribulis expurgare. Viget Religio ab ipso fundata incorruptione morum, integerrimæ sanctitatis speculum politissimum, iuuentuti excolendæ, & erudiendæ addicta pro gloria summi Numinis (quod vnicum in votis semper fuerat Ignatio,) spiritualium bonorum incrementis Ecclesiæ horreum locupletans. Nec immerito veste nigra hæc dilecta IESV Societas tegitur: excipit nimirum liuidæ iectus inuidiæ, maleuolorumque persecutionibus impetitur absque vlla integritatis ingenitæ iactura. Ipsi sese denigrant aduersarij, suisque telis conficiunt, immeriti scelerum fœculentiæ. Potest libere illud sapientissimi Regum Societas vsurpare effatum: Nigra sum, sed formosa; etiam fructuosa & cælo & Ecclesiæ, & Orbi Vniuerso, laboriosa meritis, formidolosa hostibus. *Hæc ille apud P. Nicolaum Lancicium Tom. 2. Opuscul. spiritual. 17. de præstantia Instituti Societatis num. 255.*

69. A NICOLAO ZAMBECCARIO Secretario Sacra Congregat. in Oratione coram S. D. Greg. XV. supra Canonizat. S. P. Ignatij, de quo postquam dixisset, Hominem esse iuuandis hominibus vere natum, addit, Qui Societate, quam IESV Nomine appellauit, institutâ, atque à Paulo III. confirmata, id efficere conatus est, vt in peculiari Obedientia Sedi Apostolicæ præstanda, in pueris Christiana doctrina imbuendis, in Missionibus per omnes terrarum partes obeundis, nulla esset ætas, nulla hominum conditio, nulla vbique natio, quam homo in omnium salutem intentus, huius institutione familiæ non complecteretur. *Et postea:* Itaque cum ex varijs Orbis terræ locis, Ciuitatum, Regumque inuitatu homines Societatis expeterentur, ipse ductis Colonijs, domibus, Collegijsque fundatis, ex hac Vrbe varijs expeditionibus ad ignotas, nec vnquam auditas, nedum aditas nationes, Euangelij lucem inferre, fidei desertores ad Ecclesiam reuocare, orthodoxos in Religionis cultu stabilire, ita perpetuo studuit, vt tamen interea huius curam Urbis non omitteret, &c. *Hæc ille.*

70. A PETRO HARSIO: Cum nefas sane (*inquit*) meo quidem iudicio fuerit, posteritatem tam illustrium gestorum Societatis, facinorumque tam inelytorum, quæ in bello hoc spirituali contigere, cognitione fraudare, est quodammodo furtum, ac sacrilegium potius, honorem supremæ bonitati, à qua omne emanat bonum, & Iesu Christo summo nostro Capiti, cuius gloria imprimis spectatur, debitum quadantenus subripere, & Ecclesiæ gaudium subtrahere, iuxta id 4. Reg. 7. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare, sceleris arguemur. *Hæc ille apud Fr. Ioan. Ponce in Approb. ad lib. de Triumphis fidei P. And. Perez.*

*Eius facta  
nora non  
recensere,  
furtis, ac  
sacrilegijs  
annume-  
randum.*

4. Reg. 7.  
9.

71. A BELGIS Sapienibus, quorum vox erat: Si præter gymnasia nil foret, quo Reipublicæ prodesset Societas, merito fuisse in Belgium aduocandam, & quibus gaudet rectis, fortunisque omnibus dotandam. *Ita in Imag. 1. sec. Soc. lib. 6. fol. 772.*

*Illius Scho-  
la quàm  
Vtiles.*

72. AB AVLÂ HISPANICÂ Sub Philippo II. Cum aut nomen adhuc Societatis IESV, aut Instituta illa non nouisset satis, socios tamen, alij Papistas, titulo quàm odioso Hereticis, tam Catholicis glorioso: alij Apostolos magni Dei; Homines alij, sed humanæ carnis expertes, nominabant. *Sic Ibidem lib. 5. c. 10. fol. 668.*

*Socij Apo-  
stoli magni  
Dei, & ho-  
mines hu-  
mana car-  
nis exper-  
tes.*

73. A GASPARE RADINO Prope Craconiam Parocho: qui cum domi suæ haberet conuiuas celebris cuiusdam Ordinis Religiosos, & multa contra Societatem diu effutientes audiret, tandem Christiana charitate motus, maledicis hostibus dixit. Ô mei Patres, ego iam quadraginta annis cum Patribus Societatis familiarissimè ago, & nunquam vllum eorum vlli religioso detrahentem audiui, uti vos audio detrahentes viris de Ecclesia Dei, & Republica Christiana, ac de omnibus Religiosis Ordinibus optime meritis, quorum & exemplis templa vestra ad hunc splendorem reformata, & Institutione iuuentutis vestra Monasteria ante eorum aduentum vacua, modo sunt plena viris egregijs ex Scholis eorum suppeditatis. *Ita apud Nicol. Lancicium Tom. 2. Opusc. 17. n. 173.*

*Viri sunt de  
Christiana  
Rep. ac  
Relig. Or-  
dinibus  
optime  
meriti?*

*Quorum  
industria  
vacua Mo-  
nasteria,  
plena sunt  
viris egre-  
gijs.*

Apostolino-  
stri sacu-  
li, & Ca-  
thol. fidei  
defensores  
acerrimi.

74. \* A IOAN. BAPT. GALLO *Scriptore graui, qui tanti faciebat Societatis homines, ut eos non vereretur vocitare, Apostolos nostri sæculi, & fidei Catholicæ defensores. Ita apud Euseb. in vita parua S. Ign. cap. 22. fol. 115.*

Charitate  
pleni, ma-  
gna doctri-  
na exorna-  
ti, &c.

75. \* A IOAN. PETRO GISANO *Historiographo notissimo, Societatis homines appellante, Charitate plenos, magna doctrina, prudentiaque exornatos, ardentissimos in Confessionibus audiendis, ac in omni Ecclesiastico ministerio efficaces. Sic Ibid. cap. 40.*

Quàm gra-  
ta Deo  
Iesuitici  
Collegij  
fundatio.

76. A DOMINICO LEITANO *Viro nobili ac pio Lustano, qui Burdigale Infantis Cardinalis Henrici negotia procurabat: is cum persamiliariter vteretur Francisco Baulono Burdigalensi Senatore, nulla sobole prædito, auctor ei fuit, ut Collegium Societatis Burdigale fundaret, asserens, Non posse gratius Deo rerum, quas vellet, nollet, abiens è vita relicturus esset, Sacrificium facere; neque posse solertius in sempiternum sibi quæstum peritura vertere: nec denique aliter posse melius in omnem posteritatem de Patria sua mereri, ijs præsertim temporibus, quæ Religiosorum talium auxilia flagitarent. Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 8. n. 239.*

Societas  
sub IESV  
Nominis  
prædesti-  
nata.

77. AB AND. SEMPLE DE TOBAR *Nobili Matritensi, ac scriptore in vulgari idiomate non vulgari, qui in suo Tomo de Aduent. & de sanctis in sermone ultimo Circumcisionis, agens de IESV Nominis impositione in Societatis IESV laudes quàm suffissime discurret in toto S. 5. Et in primis (ait) IESV Nomen stemma electorum, ac prædestinatorum est, secundum illud Bedæ, Huius autem Nominis etiam electi in sua spiritali circumcissione participes existere gaudent. Erunt ergo electi, ac prædestinati à Deo Iesuitæ: quorum gloriosam familiam è fortibus militibus, & sub IESV signò, pro Dei gloria contra Satanam debellantem describit prophetice Nahum Propheta cap. 2. 1. Ascendit, qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem, clypeus fortium ignitus. Vbi Rupert. Horum fortium Clypeus verbi Dei, verbum Dei est, & clypeus utique ignitus.*

Fortibus  
militibus  
gloriosa.  
Nah. 2. 1.  
& 3.

tus. Contra quos ignitus iste Clypeus, nisi contra Draconem? IESVS Clypeus horum militum inclitorum est, contra Dæmonem pugnantium: IESVS Stemma gloriosæ Societatis, & ignitus Clypeus decantatur à Propheta. Et postea addit Rup. Ascendit Euangelizans contra Draconem: & quæ signa magis nota Societatis contra Draconem Dæmonem Euangelizantis, non qualitercumque, sed fortissimo IESV armatæ Clypeo. Hunc illi tanquam sponsæ sponsus IESVS offert, dum alteri sponsæ suo nomine dixit: Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Guerricus: Non est cur timeas integritati, IESVS quippe impressus in corde, expressus in opere, hoc est in brachio munimentum est Castitatis. Hæc quæ de Maria dixit Guerricus, de Societate, quæ IESV sponsa est, intelligo. Quasi diceret, ô mea Societas, quo plura tua decora, plura facinora, plures habebis inimicos, ideo Ego tuum scutum: cui sponsa Societas respondit, quod Dauid aduersus Gigantem: Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad Te in Nomine Domini. Hoc Nomine IESV, hoc scuto vel aduersarios gigantes Societas ridet: non lapidibus armatur, sed Nomine, sed IESV ad triumphum, ad victoriam. Quia vt bene dicitur Prou.30. 5. Clypeus est omnibus inuocantibus eum. Melius autem Societatis, & Iesuitarum. Illi his armis induti, hoc IESV scuto protecti valenter contra propugnarunt: id dicat manifestus fructus animarum, frequentes ac mirabiles Vniuersi Conuersiones: id prædicent Indiæ, vbi idola muta & destructa, fundata per Societatem Catholica fide, conculcato satana, victo Dracone sub tanto clypeo. Quid mirum? Sanctum, & terribile Nomen eius Pl. 110. 10. & vt Euthymius ait: Christi quidem Nomen terribile est, quia Dæmones expellit, Clypeus enim omnibus inuocantibus eum. De Iesuitis hoc plane dictum. Hos autem fortes milites, sanctos, & doctos esse homines Societatis hoc scuto Nominis IESV munitos, ac scutulatos, plane vel ipse Christus Dominus

*Eius ignitus Clypeus contra Dæmonem IESVS est.*

*Cuius ipsa sponsa, ipse scutum. Cant. 8. 6.*

*Quo armata aduersarios gigantes prostermit.*

*1. Reg. 17. 43. Prou. 30. 15.*

*Sive idola destruens, siue satanam conculcans ingenti animarum fructu.*

*Plal. 110. 10.*



Mar. 16.  
17.

*Quo scuto  
triumphat,  
vincit, &  
crescit.*

per Marcum edisserit, cum ait, In Nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, &c. De Apostolis id effatum, sed de Iesuitis intellige. Illi enim sunt qui hoc clypeo Nominis IESV protecti prosternunt Dæmones, linguis loquuntur nouis: illi primi sunt qui pro armis IESVM habent, cuius protectione ac munimine, de Dæmonibus, de aduersarijs triumphant. Hoc scuto triumphat Societas, hoc vincit, hoc crescit. Sic ille.

*Ignatius  
Apostolici  
auctor in-  
stituti, &  
nouorum  
Apostolo-  
rum Caput.*

*Magnorum  
fluuiorum  
fons pene  
marcidum  
orbem vir-  
tute ac li-  
teris inun-  
dantium.*

*Societas  
caelestis  
propago  
Ecclesie  
nemori  
instita.*

*Exercitus  
hominum  
accinctorum  
Ecclesiam  
triumphis  
locupletan-  
tium.*

*Ij Mercurij  
caelestes,  
Oracula,  
Soles.*

*Euangelij  
Præcones  
eximij tu-  
ba caelestes.*

78. \* AB ALVARO PIZAÑO Doctore Canonico Cordubensi eximio Concionatore, ac sacrarum literarum professore sapientissimo, in sermone Beatificat. S. Ignatij longum, & honorificum valde de Socijs, ac Societate testimonium dedit, quod latine redditum sic se habet. Fuit (inquit fol. 4. cap. 2.) Ignatius illustrissimi, atque adeo Euangelici Auctor Instituti, nouorum Apostolorum Caput: Magnorum Fons fluuiorum, qui totum orbem inundantes sterilitentem iam, ac prope marcidum, irriguis suis, tum virtutum, tum literarum aquis impinguarunt. Tenella quidem, ac caelestis propago, quæ in Ecclesiastico consistit nemore; breuissimo temporis spatio, ipsismet Libani super eminentes cedros superauit, in cuius umbrosis frondibus caelestes auiculæ æstus meridianos declinantes acquiescunt. Et postea fol. 9. col. 1. Confluit (inquit) Ignatius Religiosum exercitum hominum accinctorum, Doctorum prudentium, impigrorum in docendo, qui varijs victorijs & triumphis Ecclesiam locupletant. Sunt enim in ancipiti huius sæculi via velut in triuio Hermæ constituti ad caelestem Patriam iter indigitantes, consilio indigentibus caelestia sunt Oracula: in tenebris versantibus Soles: paruulis adultisque Christianæ doctrinæ Administrari: frequentem Sacramentorum vltum edocent vitæ recte instituendæ sapientissimas Nationes; Confessionum generalium præstantissima pharmaca, tum ad vitam immortalem consequendam, Euangelij Præcones eximij & Tubæ Cælestes tradunt. Doctissimorum virorum Collegia omnium facultatum

tatum genere prælucentia constabiliunt, adeò vt quod de Simone Oniæ filio Sacræ pagine, de Ignatio affirmari possit, in diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. Primis enim Ignatij temporibus, omnia fere Germaniæ flumina, omnesque Belgici, & Anglici fontes exaruerant. In diebus ipsius remanuerunt putei aquarum, fundatis Collegijs, omniumque artium & Grammaticæ, & Rethoricæ, & Logicæ, & Philosophiæ, & Theologiæ, & Sacræ scripturæ Institutis Professoribus: longius profecto excurreret oratio, si fructus recensere vellem, quos hi salutare Ignatij Fontes Ecclesiæ Dei pepererunt, riuulorum suorum inductionibus fecunditatem illi dantes, illamque in hortum cælestem superis & mortalibus periucundum conuertentes, quibus Ignatianis Riuulis tanta paucis in diebus aquarum accessio facta est, vt in mare prope immensum exundarint, ita vt illud Isaiæ Societati IESV probe quædret: Repleta est terra scientia Domini, quasi aquis maris operientis 11.9. Quæ nam enim Nationum segetes? quæ Pro- uinciarum arua? qui Regnorum campi? quænam Insularum messes gloriosi Ignatij, eiusque Sacri Ordinis epota doctrina non lætantur? non luxuriant? & æternæ lætitiæ fructibus non abundant? *Et tandem fol 31.col.2. Fundatori Optimo, & eius Societati non tam coronidem, quàm coronam imponit eloquentissima hac peroratione. Te (inquit) pactionis Turrim, & Arcem cælo struictiorem, ad Ecclesiæ munimentum Christianus Orbis pronunciat Ignati, aduersus nocturna terriculamenta, splendidam facem, & ad depellendas in mortalis huius vitæ pelago ignorantæ tenebras Pharum incensam, Altarium Templorumque concinnitatem ipsam, & elegantiam luculentis sin minus verbis, certe obsequijs proclamabit, & occinet in Catholicæ Ecclesiæ summo vertice speculam collocatam, & vigilum, excubitorumque stationes ad detegendos propulsandosque Tartari insultus & insidias, strenuum Curatorem. Secundum ab Apostolis Ecclesiasticæ Classis mundi-*

Eccli. 50.  
I.  
Ignatius,  
& Societas  
in Simone  
Oniæ filio  
figurati.

Eius Colle-  
gia saluta-  
res sapien-  
tia fontes,  
ac Riuuli.

In Mare  
prope im-  
mensum  
exundan-  
tes,

Isai. 11.9.

Multiplex  
Ignatij  
elogium.

diali

*Societas  
Agmen  
egregium.*

*Crucis  
vexilla in  
remotissi-  
mas natio-  
nes indu-  
cens,*

*Apoc. 7. 9.  
Innumeras  
Prouincias  
diuino cul-  
tui, aut  
instituit,  
aut resti-  
tuit.*

*Defenditur  
acriter in  
Senatu  
Parisiensi.*

diali hoc Oceano Gubernatorem, quo Rectore dixerim an  
directore inaccessa hactenus, eaque propemodum infinita  
emenſa maria, & ſuauiſter adſpirante implenteque vela diui-  
ni ſpiritus aura ad portus appulſum nullo hactenus Euange-  
licæ lucis veſtigio nobiles, nullis probatæ fidei fulgoribus illu-  
ſtratos, in quibus per vnum Ignatium, eiusque Agmen egre-  
gium, dum placida velut in ſtatione pietas accubaret, vna  
verè in portu naufragium fecit impietas, & inde in confer-  
tiſſimas populis Nationes, dum Idolorum ſpectra ſubduxit,  
vexilla Crucis induxit, intulitque, vnde gemmarum immane  
pondus, & pretioſiſſimarum glebarum theſauros auferre, &  
abſtrahere ſolent in dies exaggeratas iam in Europa merces,  
& opes pretioſiſſimum cæleſtis beneficentiæ opus, diuinæ  
lumen fidei, æterni Numinis claritatem, lucra animarum  
immènſa, quibus Tyrani Dæmonis. debilitatæ vires, auctæ  
ſupremi Principis rationes, totque nationum miriades à te-  
rriſſimi hoſtis iniuſto emancipatæ ſeruitio, ad regalem dedu-  
ctæ amantiſſimi Numinis ſeruitutem, vt quando cæteris du-  
cibus ad cæleſtem Imperatorem ex Angeli in Apocalypſi  
præſcripto certa quædam agmina ſignarentur adducta, vni  
Ignatio, eiusque florentiſſimo Ordini conſignari poſſe cen-  
ſendum, omnem excedentes numerum turmas effuſas: vidi  
turbam multam, quam dinumerare nemo poterat: cum vel  
perdifficile ſit experimento probantibus non ſingulorum  
nomenclaturam, vel reſtitutarum quaquauerſus terrarum  
Orbem inſpicias apud Sinenſes, Iapones, Æthiopus, Braſi-  
lios, Americanos, Afros, Germanos, Belgas, & toto diuiſo  
Orbe Britanos, nomina recensere. *Hæc ille in ſummam Sociorum  
ac Societatis laudem.*

79. A PETRO VERSORIO Regio Aduocato Pariſienſi ad-  
uerſus numeroſam, & potentem Magiſtratuum aciem, & præcipue  
Paſchaſij contra Parienſe Collegium acriter perorantis, cui Verſorius,  
qui inter doctiſſimos religioſiſſimus habebatur, & vnus pro SOCIE-  
TATE ſtabat, Senatu iterum conuocato, cum ſe humillimè inclinàſſet,  
*quaſi*

quasi humi repens, respondere exorsus argumentis in contrarium à Paschasio propositis, longam, disertamque Orationem habuit pro Collegio, & SOCIETATE in hanc sententiam. Haud nouum, (inquit) Viri Amplissimi, SOCIETATIS IESV Patribus, neque ab vitæ genere, quod profitentur, alienum est, maledicta hominum de Ordine suo minus recte opinantium tacite, ac patienter ferre. Quod si maximè vellent in respondendo esse turbulenti, cohibet eos, at coërcet sacrosanctum illud eorum Ordini à Sede Apostolicâ inditum Nomen. Quod cum in memoriam assiduè reuocet auctorem, ac principem humanæ salutis Dei Filium, multis contumelijs & probrijs appetitum, in his quæ humanam solùm, non etiam diuinam attingebant naturam, mirum adamasse silentium; nequaquam finit eos de sua sollicitos ignominia esse, nisi cum diuinæ gloriæ defensione coniuncta sit. Quare eodem animo in hac controuersia sunt. Quicquid ad suam contumeliam declamatum est amicè condonant: si qua in re diuina laus violata est, in hac vestram, Senatores, implorant fidem. Tametsi enim tandem se ipsa defendit veritas; tamen cuiusuis Christiani est arcere ab innocente iniuriam, nec obmutescere, cum id in discrimen vocatur, quo ius, fasque continentur: palamque & publicè confusis, ac permutatis recti prauique vocabulis totius honesti naturæ corrumpitur. Igitur neque ego de mirâ illa Hypocrisi, quæ obiecta est, quicquam dicam. Criminatio hæc est quæ sola cadit in bonum virum: vltima obtrectatori materia, vbi & vitia & vitiorum species defecerunt. Quæ cum iam diu sola obijciatur, nihilque magis pugnet, quàm cum simulatione constantia; satis videri potest ipsamet ea diuturnitas refutasse: & non adumbratas, quas incessabat, sed solidas probasse virtutes. Quod autem SOCIETAS hæc damnata, ac nefaria secta, quod Protestantium, quod Donatistarum, Arrianorum, & Fraticellorum similis dicitur; ad id necessario, sed paucis est respondendum. Ignatium Loyolam perhonesto genere Cantabrum,

Et laudatur ex patientia in iniurijs.

Et ex IESU nomine à Sede Apost. indito.

Mat. 26. 63.

Aliqua in illâ obiecta diluuntur.

sunt multi in hac Vrbe, in Academia, in confesso opinor vestro, Patres, qui de facie nouerunt, cum inter nos, in hac regia sapientiæ, ingenti cum fama sanctitatis, iam grandis natu, & militaribus factis inclytus transtulit se ad studia literarum, vt ad salutem hominum procurandam, ad quod militiæ genus diuino quodam incitabatur classico, necessaria sibi doctrinæ compararet arma. Is ex hac ipsa Academia lectissimos iuuenes, cunctisque notæ, ac probatæ virtutis iuxta, atque doctrinæ, iisdemque præditos animis aggregauit sibi cum quibus inita præclari Societate operis, cum Christianam Rempublicam, & corruptis passim moribus, & suborientibus erroribus laborare cerneret; ad eam pro virili iuuantandam, conatum omnem, & impetum vertit. Nec modò notas nobis amplitudine animi complexus prouincias est; sed parte sociorum ad vltimos Orientis nuper aperti oras missa, plurimos mortales, nationesque integras ad signa compulit Saluatoris. Itaque non obscuro in angulo, sed in huius clarissimæ Urbis luce, in ipso Academiæ sinu exorta primùm hæc SOCIETAS est: nec ad serendos, sed ad extirpandos errores. Quam ad rem cum intelligerent in teneræ institutione ætatis momentum inesse maximum, quamuis arduam, indiuisamque prouinciam, summo consilio cunctis viribus susceperunt: vt sinceræ adolescentium mentes contra hæreticorum præmunirent virus, ac nouis existentibus errorum magistris, nequaquam deessent in Ecclesia Dei noui veritatis Doctores. Hæc instituta Paulus III. Pontifex Maximus cum primùm nouit, ab doctissimis & clarissimis viris inspici expendique iussa, de eorum sententia ornatissimè comprobauit. Idem fecere, qui deinceps consecuti sunt summi Sacrorum Antistites, ac modo Synodus Tridentina. IESVITARVM nomen quid cuiquam negotij faceflat, equidem nescio, præsertim cum aduersarij fateantur idem esse, ac Christianorum. Quid enim modestius facere poterant, cum propriam certorum hominum

*Vis conatus pro animarum salute, & errorum extirpatione.*

*Approbatæ à Summis Pontif. & à Trid. Synodo sub IESV nomine.*

num SOCIETATEM, non communem omnibus conderent, eamque nomine distingui aliquo oporteret, quid, inquam, modestius facere poterant, quam ut id ei nomen imponerent, quod re commune, vocis duntaxat sono proprium esset? Neque ut nouum criminari possunt: quia fuisse olim quendam eiusmodi Ordinem constat, eiusque meminit multis in locis Panormitanus. Quamobrem per vestram fidem, Senatores, quænam est vel inscitia rerum, vel peruersitas animi, hunc Ordinem reiectum, ac nefarium dicere, cum eum primùm quidem Christi Vicarius Paulus III. deinde Iulius III. post hunc Paulus IV. post Paulum Pius, qui nunc superest IV. ac proximè ipsummet Tridentinum Concilium (in quo & Legati, & Episcopi, & Doctores multi ex Gallia interfuerunt) receperint, comprobarint, ornarint? Hæc qui nescit, audet de rebus publicis, de iure, deque iniuria hoc in confesso verba facere? Qui autem perspecta habet, & tamen criminatur, is permittitur impunè inter Christianos loqui? Quid, quod multi in Italia Reguli, in Germania, & Vngaria Episcopi, libera Ciuitates, ac Ferdinandus Imperator: in Hispania, Flandria, Brabantia Philippus Rex: in Lusitania, & in Indijs Lusitani Reges: in Gallia multis locis Rex ipse Christianissimus hos viros quasi in stationibus collocarunt ad propugnandam Religionem, & propagandam? Tamenne erit, qui hoc in conuentu, tanquam nouum & perniciosum genus hominum audeat deformare, & propulsare, quod Christianarum gentium cuncti Principes firmissimum à Deo Præsidium, miseris hisce temporibus oppositum contra Hæreticos, & Ethnicos arbitrantur & complectuntur? At enim verendum est ne peruetustam, atque clarissimam huius Urbis, atque adeo totius terrarum Orbis Academiam noua hæc natio euertat. Equidem semper Sacrum hoc Athenæum pro parente colui, colamque dum viuam, ex quo quicquid sum, quanquam agnosco tenuitatem meam, profectus sum; neque vlllo modo eius commoda

*Quanta  
de Socys  
Principum  
astimatio?*

*Eos firmissimum à  
Deo præsidium  
contra hæreticos  
oppositum  
clamantium.*

mihi oppugnare animus est, sed tueri, & augere vel vita, & sanguine. Sed tamen hoc velim persuaderi sibi Domini mei finant, IESVITAS eodem, quo nos omnes sumus, animo esse, & Academiam venerari quasi parentem: neque conari irumpere ad euertendam, sed dignam existimare, ad quam stabiliendam, atque (si fieri queat) illustrandam, suos ipsi quoque qualescumque conatus conferant: ac demum rogare suppliciter, ut, quod naturæ iure permissum est omnibus, ut lumen de suo accendant lumine, & comiter erranti viam monstrent; id sibi interdictum ne velint. Nam, quod aiunt aduersarij, nullis deuinctos esse legibus; perinde ut alia, apertius est falsum crimen, quàm ut debeat, vel à mediocriter callido calumniatore obijci. Habent enim moderatores suos, habent instituta, quibus regantur: verentur pro summo Capite Romanum Pontificem: & in hac Vrbe Episcopum Parisiensem, & Rectorem Academiæ perofficiosè obseruant, & quibus in rebus æquum est, libenter vtrisque parent. Doctrina vero non alia est, quam quæ ab integerrimis Academiæ huius manauit fontibus, illimis, ac salutaris. Euolue, Paschasi, euolue catechismos ab his Magistris editos, tum tu, ab infamibus illis hæreticis, quorum ad contumeliam abs te coaceruata sunt nomina, quantum distent, intelliges. Si docent gratuito; id profecto faciunt, quod Euangelium monet, Gratis accepistis, gratis date. Si dona accipiunt; an quisquam adeò sit inhumanus, qui, quæ liberaliter deferuntur, accipi vetet ab ijs, quibus minus suppetat, vnde vitam sustentent? Oro vos, Viri clarissimi, reputate hoc cum animis vestris. Si alijs honestum est cum auditoribus suis de mercede pacisci, vnde locupletes, & opulenti fiant; quamobrem his nefas erit vel Euangelium sequi consilium, vel id accipere, quod nequissimis mendiculis non negatur. Nam quod additum de causa est pauperum; pudet me (meam fidem testor) pudet, pigetque attingere, adeò vanum est. Aliquot iam annis Claromontanum Collegium habent Iesuitæ,

quarto,

*Eorum doctrina illimis, ac salutaris,*

*Gratis iuxta Euangelium docent.*  
Matt. 10. 8

quæro, & quod incommodum quisquam inde senserit? & quod sensurus vnquam sit, si clarissima Antistitis permittantur benignitate vti? Quid inde? Eo ne reductæ Parisiensium fortunæ sunt, vt paucorum hominum Collegium, penuriam, inopiam, famem allaturum sit terrarum Principi Ciuitati? Fac quadraginta cœci è vagis mendicabulorum quisquilijs, vel alia eiusmodi ignaua corpora huc ad nos immigrent, hi tua sententia, capient propemodum, vastabuntque hanc Urbem, adeoque exhaurient, conficientque rem, ac pietatem ciuium, vt religiosissimis mendicantium Ordinibus pereundum fame sit? ô præclara regendarum consilia Ciuitatum? Nunquam Senatores, nunquam bonorum atque doctorum hominum vlla in vrbe abunde est, neque vlla melior est annona Reipublicæ, quam horum copia. *Hæc Verforius ad repellendas Societatis calumnias liberè, & accurate dixit. Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 1. num. 10.*

80 A NICOLAO ZIEMECKI Archidiacono Pezeuensi in responsione ad famosum Anonymi cuiusdam calumniatoris libellum contra patres Societatis IESV in Polonia, in qua ille mirè eos defendit per plura Capita, & præcipuè Cap. 27. ex iuuentutis educatione, quam calumniatur Anonymus. Ego, inquit, præterea his duobus te mentiri ostendo. Primò experientia, quæ præcipuè docet Patres Societatis studia humi vbique depressa, & derelicta excitasse: & ad tantum culmen, fastigium, & perfectionem, in qua nunc ea videmus, extulisse ac perduxisse: quod etiam viri doctissimi, ex quorum numero aliquos ego supra produxi, agnoscunt, affirmant, & prædicant. Testatur & hoc aliud eadem experientia eosdem Patres à Deo immortali insigni quadam industria ad educandam excolendamque iuuentutem in literis & moribus donatos esse, plurimosque ex scholis illorum Viros illustres, & in omni genere scientiarum, quod ab illis tractatur, & in omni genere virtutum Christianarum exercitatissimos euasisse, & tanquam miracula aliqua sæculi prodijisse. Secundò vniuersi Orbis Christi-

*Defenduntur Patres Societ.*

*illi vbique studia humi depressa excitant.*

*A Deo immortalis, ac insigni quadam industria ad educandam iuuentutem donati.*



Eorum disciplina est  
diuina  
quædam  
ingeniorum  
instituzio.

ftiani testimonio, qui contrarium tuis dictis clamat, omnium Ciuitatum, omnium Prouinciarum, Regnorum, Regum, Orbis ipsius denique terrarum tripartiti. Hæc est sententia, hoc iudicium, hic communis sensus & consensus, Iesuitas miro artificio ad excolendam iuuentutem è cælis donatos, ad hoc præcipuè mundo iam senescenti & vitij repleto, & in eisdem inueterato, eisdem à Deo missos esse, vt iuuentutem saluberrimis præceptis instituant. Illorum denique disciplinam, diuinam esse quamdam ingeniorum institutionem. Nega si potes: quid enim tibi post tot mendacia, quæ fœdissimo ore euomisti, illicitum est. Ne tamen hoc vniuersi populi Christiani testimonium negare audeas, cum voces illius exaudiri non possint; en habes vnde omnia ita se habere intelligas, contentiones Orbis totius videlicet de tradenda Iesuitis sua iuuentute, suis dulcissimis iucundissimisque pignoribus committendis, studia concertantia & tam importuna Iesuitas in suis Prouincijs habendi: sumptus, quos in extruendis Collegijs, & instruendis necessarijs, faciunt. Iam vides vter hic mentiatur; fallat, aut fallatur, tunc scilicet vnus, an vniuersus orbis Christianus, qui Iesuitas propter instituendam iuuentutem accersit, ornat, amat, & commendat? Hæc Archidianus inter alia multa, quibus Socios ac Societatem in citata sua contra Anonymum responsione defendit, impressa Gracouia in officina Andrea Petricouij anno 1610.

Defenditur  
contra Anonymum  
Iesuitarum  
doctrina  
moralis.

81. AB AMADEO GVIMENIO Lomarenfi olim Primario Sacre Theologiae Professore in Opusculo suo *Verè aureo*, cuius titulus est, Aduersus quorundam expostulationes contra nonnullas Iesuitarum opiniones morales. Vbi in Præfatione Dedicatoriâ ad Lectorem inter alia multa hæc in Iesuitarum doctrinæ laudem, ac defensionem scribit. Contra Societatis IESV Scriptores in dies augetur inuidia, crudelitas inualefcit, & de victoria sibi blanditur, licet per latus hostile in suamet ferrum viscera conuertat. Anonymus (nescio quis) contra moralem Iesuitarum doctrinam annis elapsis famosum libellum quàm pluri-

plurimis probris, & contumelijs contextum per Germaniam  
 iparfit, &c. Simpliciter fateor prædicto Anonymo, primum  
 idcirco (cum Louanij, anno 1646. euulgauit) respondere no-  
 lui, quia libellum à viro Theologo elaboratum liquido non  
 credebam, vtpote qui opiniones non tam vnus, vel alterius  
 Iesuitæ, quàm aliorum Doctorum communes, infamiæ nota  
 aspergeret, impiaque censura damnaret. Deinde calamum  
 aptare hæsitaueram: tum quia Iesuitæ silentio spreuerant,  
 calumnianti, vel sic exprobrantes, quod firmissimum do-  
 ctrinæ murum, adamantinis opinionibus, ab antiquis, &  
 peritissimis Magistris constructum arietasse attentauerit.  
 Tum quia Louanij eodem anno 1646. reiecerat acutissimus  
 Ioannes Caramuel in Theologia Morali lib.2. disp.12. num.  
 1311. ibi. [Nescio quis Anonymus contra Iesuitas virus euo-  
 mit, &c.]

*Qua firmis-  
 murus est  
 adamantini-  
 nis opinio-  
 nibus con-  
 structus.*

Hæc, inquam, ab Opusculo exarando retardarunt. Sed  
 proh dolor! Vix quinque Propositiones Cornelij Iansenij E-  
 piscopi Iprensis damnatæ fuerunt vt hæreticæ ab Innocen-  
 tio X. anno 1653. in Bulla, quæ incipit, Cum occasione, ex-  
 pedita die 31. Maij (quam contra nonnullos ex discipulis per-  
 tinaciter in eadem hæresi, varijs quæsitis coloribus, persisten-  
 tes innouauit Alexander VII. anno 1656.) Quando libellum  
 penè extinctum, & ad fauillas redactum, quidam ex Ianseni-  
 stis, à quibus promanauit, in Societatis, inquam, odium su-  
 scitatum, in variosque tractatus, & epistolas, non vno idio-  
 mate digestum, dissectumque, per vniuersum fere Orbem,  
 rabido furore correptus dispersit, &c. Et cum Iesuitarum  
 moralis doctrinæ lacte omnes fere Theologiæ Professores à  
 tyrociniis mulceantur in omnes iacula contorsit Anony-  
 mus: omnes vno ictu ferimur. Quem propterea refellere  
 tenemur, vt cum D. Thoma, & Magno Gregorio tradit Syl-  
 uester verb. Contumelia. n.5 &c. Sanctorum ergo Patrum  
 vestigijs insistent, pensum soluens, (quia Iesuitæ doctrinæ ad-  
 dictissimus) opusculum hoc apologeticum communi luci  
 dare

*Iesuitarum  
 doctrinæ  
 lacte omnes  
 fere Theo-  
 logiæ pro-  
 fessores  
 mulcentur.*

*ij anima-  
rum profe-  
ctui toto  
nixu dediti  
sunt.*

dare decreui, non ad reprimendam Anonymi audaciam, vt consulit Syluester supra, sed ne animarum profectus, cui toto nixu Iesuitæ omnes dediti sunt, ex his, quæ contra eorum moralem doctrinam obijciuntur, ne in pusillis quidem, & ignorantibus impediri posse videatur: tum vt à calumnijs vindicata inimicorum etiam calculo firmetur, & possit cum Augustino epist. 15. exclamare vniuersa Societas. [Hoc est quod acute vidit, qui dixit, vtiliores esse plerumque inimicos iurgantes, quàm amicos obiurgare metuentes.]

Prodiit etiam Groningæ, anno 1654. libellus alter famo-  
sus contra Scholasticam Iesuitarum doctrinam cum hac im-  
pudentissima inscriptione. [Apologia nouissima pro sancto  
Augustino, Iansenio, & Iansenistis contra Pontificem, & Ie-  
suitas, Auctore Samuele Maresio. Nimirum aduersus nup-  
eram Constitutionem Innocentij X. qua in gratiam Iesuita-  
rum, & Pelagianorum contra Augustini, & Iansenij sequa-  
ces declarantur, & definiuntur quinque Propositiones in ma-  
teria fidei.] Sic ibi. Sed quænam maior Societatis laus, quàm  
eandem cum Ecclesiæ Capite in materia fidei subiisse fortu-  
nam? quinam gloriosior contra hæreticos doctrinæ trium-  
phus, quàm eisdem calumniantium telis impetiti, hostem-  
que habere communem? Maresio modo parcam, quia hæ-  
retica perfricatæ frontis libelli inscriptio, maxima Iesuitarum  
doctrinæ commendatio est, &c. *Hactenus Amadeus in citato  
Opusculo Valentia Typis edito anno 1661.*

*Ingens  
Societatis  
laus, eam-  
dem cum  
Ecclesiæ  
Capite in  
materia fi-  
dei subire,  
fortunam.  
Hostemque  
habere  
commu-  
nem,*

82. A CÆNOBIARCHA Sanctissimo ex rigidissimo eque  
ac clarissimo Ordine, qui morti iam proximus iubet vocari ad se Bar-  
cinonensis Proregis Confessarium P. Matrezius è Societate nostra  
Sacerdotem, cui vixdum ingresso in conclauē decumbentis æger ipse  
magna alacrique voce quasi gratulabundus aggreditur: Felicem te  
(inquit) ô Pater, cui contingit socium esse eius Ordinis, in quo  
quicumque decedit, vita fruitur sempiterna. Hæc mihi iam  
nunc Deus ostendit, hæc palam omnibus nunciare manda-  
uit. *Herebat hic nosler admiratione defixus, cumque tam singulare  
visum,*

*Singulare  
Societatis  
Elogium.*

visum, prohibente verecundia, non auderet admittere, & parem minimum felicitatem datam auguraretur ipsius egri Instituto, quod erat rigidissima etiam tum, & incorruptissima disciplina, addidit egrotus, dixitque cum gemitu, Saluari quidem ex suo Ordine quam plurimos, sed non omnes: ipsius autem Societatis omnes omnino, ac singulos ad mortem usque, in ea si constiterint, esse saluandos. Sic ille, ut refertur in Imag. 1. sec. Soc. lib. 5. cap. 8. fol. 650. Cui nam ergo Sociorum hacce cogitatione imbuto ac tanta spe nixo, vita sua quantumuis molesta ac longissima, possit esse non incunda.

83. AB ALTERO eximio Cœnobiarcha, qui postquam à nobis exercitatos aliquot è suis longe meliores, quam miserat, recepisset, ad Collegij Rectorem extat Epistola, quæ inter alia sic habet: Omnes Religiosi iam inde ab exercitijs spiritualibus reuertentes, adeo confratres suos humilitate, obedientia, alijsque virtutibus ædificarunt, ut omnes alij nihil charius habere videantur, quam vestra sanctæ Societati decem, aut duodecim diebus adesse. Impleri apud vos videmus illud Cant. 1. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Ita ille Ibid. lib. 6. cap. 3. sect. 1. fol. mihi 790. Quæ duo testimonia licet ad Religiosorum Classes pertineant, hic tamen apponenda duximus, & quia anonymi sunt Auctores, & cui Familiæ nomen dederint, non declaro.

Et spiri-  
tualium  
Exercitio-  
rum.

84. AB AVBERTO MIRÆO Celeberrimo Decano Antuerpiensi, qui reddens rationem cur adiunxerit Societatis Collegia ad Ecclesiæ Breuiarium continens Archiepiscopales Prouincias, Episcopales Diœceses, & Urbes, uti in Breuiario Imperij Romani descriptæ extabant Prouincie, Ciuitates, ac Legiones, ait in Epistola Nuncupatoria Geographiæ Ecclesiasticæ, Legionum Romanarum loco fortissimum Societatis IESV Agmen collocare visum fuit, quæ toto terrarum Orbe suas stationes habet, & pro Ecclesiâ passim excubat. Hactenus ille apud P. Gabrielem de Henao Par. 2. de sacrificio Missæ disputat. 27. sect. 12. num.

Societas  
Agmen Ec-  
clesiæ for-  
tissimum.

Quæ toto  
terrarum  
Orbe suas  
stationes  
habet.

Et pro Ec-  
clesiâ pas-  
sim excu-  
bat.

In Hispania Prouincias 5. habet, quas præcones Euangelicos dant ad utramque Indiam.

In Gallia toridè quæ præclaram operam præstant in seductis ad gremium Ecclesiæ reducendis.

Et in Germania tres: in quarum collegijs iuuentus optimis moribus, & literis imbuuntur.

Societas laudatur:

Et Ignatius Patens.

Et Xauerii filius.

85. AB ALBERTO MIRÆO, *In libello Politicæ Christianæ lib. 1. cap. 19. pag. 77.* In vniuersis (inquit) Hispaniarum Regnis Societas IESV quinque Prouincias habet, quas vna cum singularum Collegijs operæ pretium hic fuerit ob oculos ponere, quod ex ijs potissimum desumpti fuerint, hodieque desumantur præcones Euangelici ad Christi doctrinam per vtramque Indiam, longè lateque disseminandam. *Hæc ille: qui Collegia recenset quæ in vnaquaque Prouincia habet Societas. Et Ibidem cap. 25. pag. 105. subdit: Si vsquam alibi, in Gallia præclaram certe operam præstat Societas IESV in seductis ad viam veritatis, gremiumque Ecclesiæ reducendis. Ipsi autem in Gallia sunt Prouinciæ quinque. Et vniuscuiusque Collegia enumerat. Et Ibidem cap. 35. pag. 141. In Germania (inquit) tres habent Prouincias Patres Societatis, in quarum Collegijs iuuentus optimis moribus, & literis accuratè imbuitur: vel ipsorum etiam Lutheranorum iudicio, qui non raro liberos etiam suos ad ea gymnasia erudiendos mittunt. Sic ille: qui Auctor diuersus est à præcedenti Alberto Miræo, ut apud scriptores inuenio: fides sit penes ipsos.*

86. A SALVSTIO GERMANICO, *In suis Flosculis Historicis, siue Historia Vniuersali ab Orbe condito, sic ait: Eo tempore nascebatur Societas IESV, sancita à Paulo III. an. 1540. eo incremento, rerumque successu, quem vterque Orbis suspexit. Auctor Ignatius de Loyola, qui per tirocinium patientiæ ad sanctitatem miram euectus, prudentiæ, & humilitatis specimen fuit: cuius miraculum ingens Xauerius, sequenti anno in Indiam missus, qui terrarum tractus, & marium immensos obiens, myriadibus hominum Christo consignatis, eique aperta primum Iaponia in Sinarum aditu, raptus est febrî, cum eius ignibus minor esset Orbis, quærendumque esset in ipso fonte incendij pabulum. Hæc Auctor florentissimus fol. mhi 590.*

\* 87. A D<sup>a</sup>. MARINA DE ESCOBAR, *Illam quidem Venerabili femina, sanctitate clarissima Virgine, tot tantisque diuinitatis*

nitatis arcanis & caelestibus illustrata mysterijs, vt & prima visa sit, nec passim habitura sequentem: adeò enim illi Deus familiariter alloquebatur indulgens, vt meritò videatur in ipsa, & suam duntaxat reperire letitiam, & vnicè cumulasse delicias. Hæc igitur spectabilis Virgo contemplationis dum quiescebat in ocio, hæc de sanctissimo Patre, de Societate, & Instituto mirabili, Deo reuelante, conspexit.

Vidit, inquam, Patres è Societate quàm plurimos sanctissimum Parentem Ignatium affectantes. Inter alios è Societate, qui Parentem nostrum Ignatium ab alta calorum arce comitabantur, ipsa singulariter illorum duos agnouit. Et rursus eidem sanctissimo Patri, dum ipsam Dominam Marinam familiariter inuisebat, suam Deus vniuersam Religionem aspiciendam proponit.

Visiones  
mirabiles  
de Instituto  
Soc. Pa-  
rente, &  
alumnis.

Quædam admirabilis visio, quam circa altitudinem, & Instituti nostri excellentiam (in quo sicut & in numerosa filiorum propagine animarum bono perutili, sanctissimi elucet magnitudo Parentis Ignatij) ipsamet Venerabilis Virgo conspexit; sic habetur. Vidi, inquit, Societatis IESV Religiosum in quodam veluti feretro, licet vitam agentem, & quasi in contemplatione suspensum: illum plurimi ex eadem Societate religiosi portabant, quos etiam Angeli multi comitabantur: sed postquam in media cubi- culi mei planicie collocarunt allatum, obseruavi, sanctissimum IESV Nomen supra pectus habere; quod Venerabile Nomen adeo fulgentiores radios vibrabat, vt Religiosum ceu quodam gloriæ amictu circumdatum, & obuestitum corpus relinqueret. Radij autem per vniuersum terrarum ambitum ad vsque remotiora confinia portendebantur; ita tamen, vt splendidum, inflammatumque, quidquid attingerent, redderent. At postquam omnes, vt illum iterum veherent, commoti fuerunt, Deo sic cuncta disponente, notauit; ipsummet feretrum dulcissimo IESV Nomine eximie pulchritudinis radijs ab omni parte esse ornatum, illumque Religiosum tam in manibus quàm in pectore quosdam veluti Soles eodem Sanctissimo Nomine, claritatis plurimum emit-

tente, similiter habere. Tunc mihi cuncta hæc valde admiranti ad aures Dominus dixit; Societatis IESV institutum, supereminentem ipsius excellentiam, & efficacitatem eximiam, ut Nomen clarissimum meum, totum per terrarum Orbem sectatores eius circumferunt, meque illis fauente, num splendore doctrinæ, tum vitæ exemplo, & fidelium mentibus ingerant, & eas benedictas inflamment, tibi doloribus obrutæ pro voluptate haud exigua consulto volui ostendere.

Et paulo post: Angelos, *inquit*, alios aduentare conspexi, magnam & pulcherrimam capsam præstantissimis gemmis undique perbelle insculptam, afferentes: qua per ipsos patefacta, immensum, nec ponderabilem satis thesaurum tam ex auro & argento, quàm ex nitidissimis gemmis, & omni penitentium vnionum genere cumulatum, intus esse notavi: tunc mihi Angeli illi dixerunt: Hæc Societatis sunt opera, apud Dominum, ad bonum multarum animarum quam maximum, & æstimabilia, & pretiosa.

*Iterum vidit in celo quamdam multorum è Societate Sanctorum celeberrimam Pompam, in qua quisque mirabilis insigne virtutis, qua magis claruit in terra, deferebat. Generales insuper nostros diademate veluti cidari, adnotavit ornatos. Præterea quid eidem dubitanti; alios ne è Societate obijisse; cum tot, tantosque inspiceret in celo; sic, ut videretur negandum, in eadem plures è vita migrasse, Dominus alloquatur, & dicat. Et ad Sanctitatem sectandam quantum quisque è Societate obstringatur, præsertim, ut ipsa aiebat, cum pro exemplari sit omnibus tam admirabilis Patrens, ut Sanctissimus noster Ignatius. Cum nostra Societate fraternitatis epistolam ipsa D. Marina adipiscitur, idque quantum sit placitum Deo.*

*Verba Christi Domini de Societate persecutionibus non obvianda.*

*Hæc iterum Dominus illi prædixit circa sauentes persecutionum procellas in Societatem, & nostros; Ne plurimum afficiaris Marina, non enim demergenda, sed ut extollatur, calcanda; nec, licet extenuetur, confringetur. A Societatis persecutionibus,*

ribus cunctis vindictam Dominum exigentem eadem Virgo conspexit. Cur ipsa auxiliares Angelos duos nigranti intueatur in nube. Inter eos è Societate, qui Parentem nostrum Ignatium comitabantur pedissequi, quatuor agnouit hæc Virgo. Et ex illis P. Christophorum à Ribera esse unum, quem olim simili in comitatu cognouerat. Quod Dominus dixit eidem pro Societate exoranti, tunc præsertim, cum propter Auxiliorum sententiam Romæ criminaretur à multis.

Aliquos è Societate speciaticim gloria esse affectos, notauit. Introeundum in Societatem Angeli patefaciunt eidem. Plures è Societate, cum Sanctissimo nostro Parente conspexit, qui omnes ipsiusmet funeri adfuturi promittunt. Illi Angeli ostendunt, quod maximum donum P. Ludouici à Ponte elargiendum à Domino, eo quod, & eiusdem direxerit mentem, & scripserit vitam. Quo pacto à Sanctissimo nostro Parente fuerit ipsa in Societatem admissa. Beatissimus Pater Ignatius inter inuisendum eandem, suos filios, ut ad Deum pro Societate conclament, adhortatur. Conspectiendi sese offerunt illi, tam Sanctissimus Pater Ignatius, quam Beatissimus Dominicus; quodque tunc accidit circa vtriusque Religionum consensum. Sanctissimum Patrem Ignatium sanctissimi Dominici filij affectantur, & hunc, quos Societas contulit celo. Hæc omnia constant ex Indice verbo Societas IESV & insuper à Cap. 13. S. 4. Par. 1. eius vite à P. Ludouico à Ponte conscriptæ.

Eadem Virgo mirabilem quamdam concionem pro Parente Sanctissimo nostro à B. Dominico factam auscultata fuit in hunc modum. Erat Sanctissimus Pater veluti in contemplatione suspensus, quem cum intueretur diuinissimus Prædicatorum Fundator, digito quasi demonstrans, sic mirabiliter orsus. Hic est Ignatius

Egregia s.  
Dominici  
concio in  
s. Ignatij  
laudem.

Beatissimus sacre Societatis IESV Religionis & Patriarcha, & Fundator. Hic est qui virtute sibi à Deo impertita, tot tantosque in spiritu spiritales edidit filios, qui præstantiori virtute, & superadmiranda doctrina, plurimum fidelium mentibus in Ecclesia profuere. Hic est illa fecundissima ra-



dix, illa pulcherrima Arbor, quæ tam eximium, & cæli fanè perutilem fructum procreavit in terra. Hic est ille, & humilis, & sui despectator egregius, qui nec sibi vsquam, nec spiritualibus filijs, honores, & magnitudines, dignitates, & Pontificatus admisit, quin potius omnia sub pedibus prote-renda deiecit. Hic est ille qui inter Dei electos Primates, beatitudinis inter altiores Dynastas supremum, & excellentia conspicuum felicissimè possidet thronum. Hic est ille, in quo, & propter virtutes clarissimas, & propter beatitudinem ipsam, qua beatur eximè Deus omnium elargitor, & auctor, ab Angelorum omnibus choris magnificatur impensè. *Con-stant similiter hæc ab eod. cap. 13. §. 4.*



## CLASSIS XI.

## AB HÆRETICIS.

**H**Actenus à laudatis Viris laudata IESV Societas: Quid ni & ab ipsis Hæreticis, Sectarijsque accersasamus aliquid laudis? Nec enim ulla virtutis certior est, quàm ab hoste (utpote vi veritatis expressa) commendatio. Audiamus igitur quid hostes veræ Religionis, quid Hæretici quandoque de IESUITIS, ac SOCIETATE senserint: & imprimis exordior.

I. **A** PHILIPPO MELANTONE Patriarchæ nomine ab ipsis Hæreticis proclamato: qui morti suæ insaufissima iam vicinus, cum forte audiret à quopiam Iesuitas peragrarè terras, transmittere maria, nec quemquam fere tunc esse Orbis Angulum, quo non penetrarint, ubi non iecerint Catholice Religionis semen, non sudore tantum, sed etiam sanguine irrigatum; ductis ex imo corde suspirijs, penè iam animam exhalans, exclamare non vni auditus est. Ah! quid hoc esse dicam? Video sane totum Mundum brevi Iesuitis repletum iri. Ita apud *Jmag. 1. sec. Soc. lib. 5. cap. 12. fol. 680.*

*Iesuitæ  
Melanthonis  
ultimæ  
dolor.*

2. **A** THEODORO BEZA asserente, Nulla se in Francia vitæ Christianæ, & integritatis vestigia, nisi in Iesuitis videre. Sic *Ibid. fol. 681.* Qui rursus affirmabat, Delphinatus Ecclesijs non posse periculum creati maius, quàm si Ministri viua voce, ac præsentè plebe de Religione cum Iesuitis dissererent. Sic in *Annal. Societ. ann. 1601. fol. 453.*

*Eorum vitæ  
integritas.  
Quantum  
cum illis  
renuant  
Hæretici  
disputare.*

3. **A** MARTINO KEMNITIO affirmante Societatem à Romano Pontifice excogitatam, ut labentem Ecclesiam fulcire aliquomodo posset. Ita in *Jmag. 1. sec. Soc. citata fol. 681.* Et item ab Eodem impie effutiente, Iesuitarum Theologia semel expuncta

*Societas  
labentis  
Ecclesiæ  
fulcrum, si-  
deique su-  
stentaculū.*

expuncta, Catholicam fidem expunctam iri. *Ac proinde librum, quem ille in hanc edidit, contra Theologiam Iesuitarum inscripfit, sic referente Kemnitio apud P. Gueuara Tom. 1. in Matth. cap. 1. v. 1. obser. 16. num. 14.*

Inuentus  
instituta  
disciplina  
à Iesuitis  
reuocata.

Eorum so-  
lertia in  
doctrina  
excolenda,  
& moribus  
informandis.

Cum illis,  
tormentis,  
non argu-  
mentis cer-  
tandum.

Vbi ipsi de-  
gunt hære-  
sis stare  
nequit.

Hæreticorū  
cum Iesuitis  
odium im-  
placabile.

Religio Ca-  
tholica, iam  
Romana, iā  
Iesuitica  
vocat.

Pro malefi-  
cij benefici-  
cia repen-  
dunt Ie-  
suitæ.

Sine illis  
nihil Rex  
Hispaniæ  
attentaret.

4. A FRANCISCO VERVLANO *Angliæ Cancellario agente de Institutione iuuentutis*: Quæ (inquit) nobilissima pars priscae disciplinae reuocata est aliquatenus quasi postliminio in Iesuitarum Collegijs: quorum cum intueor industriam, solertiamque tam in doctrina excolenda, quàm moribus informandis, illud occurrit Agesilai de Pharnabazo: Talis cum sis, vtinam noster esses. *Ita ille apud Imag. Societ. sup. fol. 681.*

5. AB ANGLICANIS, *Quorum argumentationes tam facile Maldonatus noster in quodam cum Hæreticis congressu, dissoluit, vt earum futilitatem ipsi cognoscerent, cogerenturque asserere*: Cum Iesuitis in posterum tormentis potius certandum, quàm argumentis. *Ibid. lib. 3. cap. 3. fol. 341.*

6. A CALVINO-BATAVIS: *Qui asserabant, stantibus in Belgio Iesuitis stare non posse Hæresim, ne dum dominari. Iidemque rursus profitebantur, Malle se quotquot Belgium habebat Hispanos, quàm bis senos dumtaxat Iesuitas. Ingens Iesuitarum commendatio, & gloriosa, cui Batauicæ gentis odia in Hispanos non ignota: plusquam Vatiniæ sunt. Tandem quod maxime Societati honorificum, iudem Hæretici Religionem Catholicam, sæpe quidem Romanam, sæpius tamen Iesuiticam appellant. Probrum nobis dicere se putant, & præconium dicunt. Ita Ibidem lib. 6. fol. 890.*

7. A LIBERIO WIGART. *Asserente, Homines Societatis suorum inimicorum amatores adeo, vt beneficia pro maleficijs rependant. Sic in Annalib. Societ. ann. 1604. fol. 648.*

8. \* AB ELISABETHÂ *Angliæ Regina, Catholicæ Religionis immani peste, crudelique Societatis aduersaria. Videtur (asserbat illa) quod sine Iesuitis Rex Hispaniæ nihil hoc tempore atten-*

attentaret. Sic apud P. Fran. Aguado Tomo suarum exhortationum, exhortat. 34. §. 3.

9. A MARCO ANTONIO ARNALDO *Elisabethæ sensum egregie in summam Societatis laudem confirmante. Societas (inquit) probata est in Hispania videturque nata ad Imperium Hispanorum promouendum: vocant Regem Philippum, Maximam Potentiam, Murum, & Antemurale Domus Dei: eorum dictum est, vnus Deus, vnus Papa, vnus Rex Christianismi, Magnus Rex Catholicus, & vniuersalis Rex Hispaniæ: omnia eorum acta, omnes eorum cogitationes eò spectant, vt Regem Hispaniarum Europæ Monarcham constituant. Hec ille, de quibus non parum nos, qui Hispani sumus gloriamur. Ita ibidem.*

*Societas  
Nata ad  
illius Im-  
perium pro-  
mouendū.*

10. A DAVIDE PERÆO *Caluinista in orat. de strephis Iesuitarum, vbi suos contra Nostros excitat dicens: Nunc communia arma, signa, & acies excitandæ sunt in Antichristum Romanum, eiusque Primipilares Iesuitas, qui ante fores commune exitium omnibus Ecclesijs reformatis machinantur. Ita apud P. Henricum Fitzimon in sua Britono-machia ministrorum in Proæmio ad lectorem pag. 17. Haud parum Hereticus Iesuitas extollit, cum illos Romani Pontificis Primipilares consti-*

*Iesuita  
Pontificis  
Romani  
Primipila-  
res.*

11. A CONSTANTINO *Canonico Hispalensi occulto Heretico, cui venit in mentem Sociorum mores interiorius explorare. Quod, ni fallor, voluit Deus vt testimonium innocentie nostræ ab ipsomet inimico exprimeret. Namque submissi exploratores postquam intem-  
tis auribus, oculisque obseruauerant omnia, cum referrent, deprehendisse se homines proximorum saluti cupidos, orationi deditos, procul à  
fæminarum commercio, interfatus hîc Constantinus, Hactenus (inquit) fat est. Si dediti orationi sunt, & à mulieribus cauent, perseveraturos ne dubita. Sic ille Par. 2. Hist. Sôc. lib. 2. num. 128.*

*Eorum  
oratio &  
Castitas  
commen-  
dantur.*

12. AB HILDESHEMIO *Luterano, vel coram ipso suo Prædicante, asserente, Iesuitarum dictione se ad pietatem moueri*

*Et locutio  
mouens ad  
pietatem.*

summopere, apud suos nullam guttulam hauriri posse pietatis. *In Annal. Soc. ann. 1613. fol. 203.*

*Sunt ad  
iuuentutem  
instituen-  
dam prom-  
pti, & om-  
nigena sa-  
pientia  
ornati,*

13. A MINISTRO *Auenionensi* : Docti sunt (*inquit*) Iesuitæ, fateor : ad pueriles animos imbuendos prompti, & parati, non negarim. Ab his cognitio antiquitatis, & Historiarum petenda, verissime dictum est : ab his poetices, & eloquentiæ præceptorum docta, & subtilis explicatio, non inficior, non negabo. *Ita in Annalib. Societ. ann. 1600. fol. 283.*

*Et Concionatores,  
quos heretici  
trepidat.*

14. A CALVINISTIS *Gallicis, Ecclesiasticos & seculares in partem Urbis Araucisæ admitti Henrico IV. permittentibus, conditione hac tantum addita, Ne Iesuitæ Concionatores accederent. Ibidem fol. 289. Sic ad eorum conspectum pauent Heretici.*

*Satius cum  
Dæmone,  
quam cum  
illis con-  
gredi.*

15. A LVTHERANIS *ex Prouincia Germania superioris palam asserentibus, Satius esse cum Caco-dæmone, quam cum Iesuitarum Cætu congregari. Quod de Societatis doctrina luculentius testimonium. Ita in Annalib. Societ. citat. ann. 1600. fol. 346.*

*Eorum vita  
laudata.*

16. A CALVINISTIS *ex Prouincia Rhenana testantibus, Se non difficulter fore Romanos, si vt Iesuitæ omnes Sacerdotes viuerent. Ibidem fol. 399. Paucis sane verbis grande præconium.*

*Quorum  
opera sit, ne  
hereticorum  
fluctibus  
Anglia,  
& Gallia  
reslaguet.*

17. A GALLIS, ET ANGLICANIS P. Petrum Diazium, & socios iuxta *Insulas fortunatas immaniter occidentibus : nec tantam diritatem exaturari potuit horum Hereticorum rabies, nostros, iam Seductores appellantium, & magnis clamoribus conquerentium, Eorum opera veluti obiectis molibus fieri, ne hereticorum fluctibus tota Anglia, & Gallia restagnaret, futurumque, vt sublatis Iesuitis fieret non vnus Pastor, & ouile, sed vna bara, & suile. Ita apud P. Vasconcellos in descript. Regni Lusitani, sine in sua Anacephaleos fol. 504.*

*Quantū ab  
Hereticis  
timeantur.*

18. A LVGDVNENSI *Moderatore Conciliabuli Hereticorum : in quo dum Minister quidam non satis tolerabiliter insolecit, nullum aptius*

aptius reprimendo homini frænum ille censuit, quàm publicè proclamando: Ni quiesceret, sciri viam, quâ adducerentur Iesuitæ. Ita in *Annal. Soc. ann. 1601. fol. 419.*

19. A MASPVRGENSI Doctore celebri *Academia Maspurgensis in Epist. ad quemdam è Nostris Collegij Moguntini*, Exercitia (inquit) Vestra Scholastica ad summam fidem, & diligentiam, summam etiam apud hostes merentur laudem: & si per sumptus saluaque existimatione mea liceret, nullibi quàm apud vos filios meos liberalibus studijs operam nauare vellem: sed isto beneficio mihi frui non licet, qui vix etiam absque calumnijs cum viris doctis per litteras colloqui possum. Ita *Ibid. fol. 579.*

Ob summam in literis, diligentiam summam apud hostes merentur laudem.

20. A RHENANIS *Vallium Montis-rhogesi de Societatis hominibus sic affirmantibus*; Si talis semper dicendi faciendique Magistros habuissent, se numquam non Catholicos fuisse futuros. *Ibid. fol. 606.*

Eorū Magisterium hæreticorū Magisterio præponitur.

21. AB HILDESIENSI *Prædicante ex Eadem Phenana Provincia asserente*, Extra controuersiam esse maiores adolescentes in nostris, quàm in suis Scholis in literis progressus facturos: & si vlla vsquam viros doctos alat disciplina, vel Iesuitarum esse, vel nullam. *Ibid. fol. 624.*

Eorū Schola laudantur ex iuuenum profectu.

22. A NEVMASENSI. *Ex Provincia Lugdunensi: qui cum accusaretur à suis, quod cum Iesuitis familiarius ageret, crebroque ipsos ad Philosophicas concertationes inuitaret, respondit*; se Catholicum haud quidem esse, plus tamen apud se ponderis habere Iesuitæ cuiuslibet etiam vulgarem doctrinam, quam omnium Ministellorum pronunciata, qui ad proposita conticescerent, & nulla de re perite philosopharentur. Ita in *Annal. Soc. ann. 1602. fol. 325.*

Iesuitarum doctrina antelata Hæreticorū doctrina.

23. A MARTINO LVTHERO *Eiusdem planè nominis cum notissimo illo Germaniæ Hæresiarcha, qui tanti à Prædicantibus fiebat, vt dicerent, per illum Lutheranismum iterum instaurandum, & tamen conuictus à Nostro est. Cumque nil possent sui ab eo extorquere, negant suppellectilem se restitutos, nisi chirographo testetur*

A quorum doctrina nequit reuocari Hæreticus.

*se apud maledictos Iesuitas literis operam non daturum. Non equidem (respondit adolescens) apud maledictos Iesuitas in studio literarum incumbam, sed apud Benedictos, ac proinde haud inuitus tale chirographum ipsis relinquam. Sic in Annal. Soc. ann. 1603. fol. 55.*

*Vbi ipsi sunt Lutheranisimus subsistere non potest.*

24. A PADERBONENSI Consule Lutheranis ex Phenana Provincia palam in Senatu, foro, compitis de Nostrorum exilio agente, imo de nostra nece, Iesuitæ (dicebat ille) dum vna secum commemorarentur, Lutherum in Vrbe, & patria tota, quod portendebat, ægre sedem firmam, stabilemque habiturum. *In Annal. Soc. ann. 1604. fol. 644.*

*Publica contra illos Hereticorum preces.*

25. A MINISTRIS Lutheranis, & Calvinistis ex eadem Provincia publicas preces pro Concionibus indicentibus ad Nostrorum conatus evertendos. Ne Papistica (ut loquebantur) Religio pristinae vquam dignitati redderetur. *Ibid. fol. 689.*

*Sunt viri honestissimi.*

26. A TRANSYLVANO Lutheranis Primario, qui cum prohiberetur à Iudice Heretico, ne Iesuitas hospitio reciperet, Ergo ne (inquit) quod omnibus præstare possum, Societati præstare nequeam? Et solis viris hisce honestissimis hospitalitatis iura denegem? *Ita in Annal. Soc. ann. 1606. fol. 552.*

*E quorum Scholis Hereticorum filij ad fidem reducuntur.*

27. A VALINIANO Ex Polonia nobilioribus in publico conuentu: Nullus (inquit) filiorum nostrorum è Scholis Patrum Societatis prodijt, qui Ecclesiæ Romanæ, relicta Parentum suorum fide, non sit aggregatus. Ego aliquot filios tradideram ad scholas illorum erudiendos; & omnes iam à mea fide diuersam fidem profitentur. *Sic in Annal. Soc. ann. 1608. fol. 716.*

*Quantum in illos Hereticorum inmodium.*

28. A TYRONENSI Ex Hereticorum præcipuis, quem cum rogaret Catholicus Sacerdos, cur in sua Bibliotheca imagines Lutheri, Melantonis, aliquorumque Diuorum, quos vera veneratur Ecclesia, essent depictæ, sed B. Ignatij non sic, respondit: Nunquam enim vilis hic depingetur Iesuita: ille præsertim qui cum suis discipulis noster est hostis capitalis: cum Monachis conuenit nobis, non perinde cum Iesuitis. *Ita in Annal. Soc. ann. 1609. fol. 427.*

29. A

29. A BORCORENSI *Hereticorum Coripheo ex Prouincia Francia in foro Borcori publicè afferente: Ex quo Iesuitæ eò venissent, se vt pestem, aut Diabolum aliquem fugitari, nec cuiusquam amplius salutationem mereri. In Annal. Soc. ann. 1610.*

*Eorum pestis Iesuitæ.*

30. A BRUGENSIBVS *In Belgio: Cetera omnia (dicebant) se ferre posse, mores, literas, Scholas, sed adeo Pontifici Romano esse addictos Iesuitas, id vero vnum præcipuè intolerabile sibi videri: Iesuitisque omnibus è medio sublatis, haud factu difficile, ceteros omnes fidei Catholicæ propugnatores expugnare. Ibid. fol. 262.*

*Quibus ablatis, facile alij fidei propugnatores expugnantur,*

31. AB HELVETIIS *Lutheranis è Saxonia, Geneva, & Zurichio vociferantibus, Nullam esse Euangelio suo capitaliorem pestem, quàm Iesuitas: hos & sophismatibus adultos irretire, & pueros illecebris circumuenire, ac demum omnes sub Papæ dominatum trahere: & vbi illi sunt, stare Lutheri disciplinam, Euangelium stare non posse. Sic Par. 2. Hist. Soc. lib. 5. num. 97.*

*Sunt Capitalior Euangelij Lutherani pestis.*

32. A GANDAVENSIS: *Et quidem Gandavi attributa Socijs domus Hæretici olim, & illis insensissimi hostis. Ædes, & hortum studiose dum excolit, rogatur ab familiarium aliquo, eccui laboraret opere tanto? Liberis, inquit; Ne Iesuitis quàm vereor, alter subiunxit: At Ego: respondit Hæreticus, iam nunc Ædes incendo, Hortum euerto, si id vel suspicer. & quidem miser paulo post carnificis manu perijt, fundusque omnis ille Socijs euénit. Sic in Synopsi Soc. lib. 5. cap. 8. fol. 219. Non minus vel ad Iesuitarum nomen pauent Hæretici: qui timor non modica Societatis laus est.*

*Inde in illos extinguibile eorum odium,*

33. AB HIDELSIENSI *Prædicante Lutherano in Prouincia Rhenana: qui ab alio rogatus Prædicante libro aduersus Societatem mille imposturis pleno subscribere, respondit: Scio omnium eorum criminationum, quibus tu tuum illud librarium refercisti expertes esse, eas si sustuleris haud grauatè subscribam. Tu vero vide quid suscipias, neque enim tua doctrina, neque scribendi facultas tanta est, vt possit vlla ex parte cum Iesuitarum*

*Quantum Iesuitarum doctrina Hæreticorum doctrina præstet.*



doctrina comparari, esque multò imbecillior, quàm vt possis tantum certamen cum tam potentibus aduersarijs sustinere: vnum lacereris, mille contra te armaueris, qui te voluminibus obruent suis: neque immeritò in concione maledictis in illos abstineo. *Ita ille in Annal. Soc. ann. 1596. fol. 308.*

Eorum etio-  
Etio soluenda  
da obsidionis  
conditio.

34. AB ANGLICANIS, qui obsidionem Anglicanam acriter perurgentibus ad cetera hostilia; etiam illud addiderunt: Nullam esse aliam deditiois conditionem, nisi Iesuitis deditis. *Idque iterum ac tertio praconis voce pronunciare iusserunt; vt vel hinc appareat, quàm inuisum sit Religionis hostibus Societatis nomen. Ita in Annal. Soc. ann. 1596. fol. 492.*

Ij aut necandi, aut  
calumnijs opprimendi.

35. A CALVINISTIS, qui inter sua dogmata ad suam *Etiam propagandam, sequens enumerant: estque in Ordine 15. Iesuitæ, qui se maximè nobis opponunt, aut necandi, aut si id commode fieri non potest, mendacijs, & calumnijs opprimendi. Haec illi dogmate 15. apud Becan. Tom. 1. opuscul. Theologic.*

Sedem Pontificiam  
fulciunt, ac  
sustentant.

36. A LVThERANIS Doctoribus, qui in Schola sua picturam monstrabant Pontificis è sede sua ruentis, quem cum alij quidem, tum vero Iesuitæ tibicinibus seu sustentaculis nescio quibus fulcirent: quam cum illam ostendissent Catholico cuiquam, ille pro hac Diabolum Lutherò arridentem, & congratulantem monstrauit. *Sic apud Serarium in calce opuscul. de Lutherò Magistro ad lectorem.*

Moribus sunt  
intelligendi.

37. A GALLICANIS Ministris Hereticorum à quibus cum quaesitum fuisset de vita Iesuitarum, respondisse fertur, De moribus Iesuitarum nihil esse, quod obloqui quisquam posset. *Sic Tom. 3. opuscul. P. Becani quaest. Batavic. num. 13. & in Apolog. Henrici IV. pro Societ.*

Varia de illis  
encomia.

38. A FEDERICO BALDVINO appellante Iesuitas subtilissimæ subtilitatis homines, Papicolas, Romanos asellos: Fulcra Cathedræ Pontificiæ, Lutheri, ac Lutheranorum Flagella vocalia. Cuius (ideest Societatis) Dux, & Coriphæus Ignatius Loyola prima Germaniæ labes, atque fax Sacra.

*Ita*

Ita apud Serar. Tom. 3. Opuscul. de Lutheri Magistro lib. 2. cap. II.

39. A CONRADO GRATSERO Insigni Hæresarcha : Iesuitæ (inquit) subtilitate, & acumine plus alijs valent : & sunt quasi extraordinarij, & Priuilegiati Papæ defensores. Sic apud P. Becan. Tom. 3. Opuscul. Theolog. in examine Plagæ Regum cap. 4. num. 41. Extraordinarij Papæ defensores.

40. AB AVGVSTANO, Qui inter varias sectas adscripsit, Caniffianos, siue Iesuitas : Hosque (aiebat) inuento quorundam Cardinalium editos ad excitandum Regnum Papisticum, alioqui iam penè collapsum. Sic Par. 2. Hist. Societ. lib. 1. n. 108. Editi ad excitandis Regnum Papisticum.

41. A VALLIS TELLINÆ Hæreticis Nostrorum expulsionem inde statuentibus sequenti decreto : Iesuitæ ex vniuersa Grifsonum ditione, vt qui hostes Euangelij nostri sint, quàm primum pedem efferant. Ibid. lib. 5. n. 103. Et lib. 7. n. 54. Alios video Hæreticos palam profitentes Pati non posse Euangelij sui cursum Iesuitarum obiectu retardari. Hæretici Euangelij pestis.

42. A IACOBO Britania Rege Hæretico Schismatico, qui Societatis Alumnos dicebat esse Ranunculas pro Pontifice coarctantes. Probrum satis nobis perhonorificum. Ita apud Suar. Tom. de defensione fidei lib. 5. cap. 20. n. 7. Ranuncula pro Pontifice coarctantes. Apoc. 16. 13.

43. A DORDRACENO Consule Siluaducensi, qui postquam interfuit Nostrorum Catechismo palam professus est, Societatem docendæ iuuentutinatam esse, & per solas Patriæ leges stare, quo minus suos ipse liberos in disciplinam nostram traderet. Ita apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 6. fol. 770. Societas docendæ iuuentuti nata.

44. A LVCÂ GORCÂ Palatino, qui homo erat extra hæresim minime malus : hic dum Hæreticum Ministrum adhortatur ad vitam componendam, quo posset non industria solum, verum etiam auctoritate sustinere Iesuitarum impetus : ac leuiter increpat, ipsorum iubens intueri Iesuitarum exemplum, asserens, illos Angelicam vitam in terris ducere. Sic Par. 3. Hist. Soc. lib. 7. n. 48. Socij Angelicam vitam in terris ducunt.

45. A WITACKERO *Insigni Hæretico Anglicano in Epist. Dedicatoria ad librum de Verbo Dei, inter plura, & magna Bellarmini nostri, Ecclesieque Cardinalis, encomia concludit: Nunc edito Bellarmino, melius, & certius cognoscimus, quid illi in quacumque causa teneant, quibus potissimum argumentis nitantur: & quæ sit ipsa quodammodo Papismi medulla, quæ non magis in Papa ipso, quam in Iesuitis inesse creditur. Ita apud P. Ramirez in vita Bellarmini. lib. 2. cap. 3. fin.*

*Sunt Papæ Mancipia, & Venatici Canes.*

46. AB ALIJS Hæreticis, *Qui Societatis filios, iam Papæ Mancipia, iam Canes venaticos passim proclamant, in summum nostrum decus, & gloriam illud refertur apud Fr. Christoph. Auendaño Carmel. in ser. de Beatif. SS. Jgnat. & Xauer. discurs. 3. fol. mibi 85. Istud in lectione Sacra pro anno seculari Societ. typis edita Hispal. ann. 1640. fol. 11. Et Tom. 2. vir. Illust. Societ. in vit. P. Canisij S. 4.*

*Cum illis nec ipsi Caluino disputandum.*

47. A CALVINISTA *Quodam in Consistorio suo Calvinistico asseueranter affirmante, Ne Caluino quidem ab inferis excitato disputandi cum Iesuitis facultatem esse concedendam. Ita in Annal. Soc. ann. 1601. fol. 453.*

*Ij ex virtutibus commendantur.*

48. A GASPARE SCIOPPIO *Sub ouina pelle lupo, ac occulto Hæretico, cuius hæreses P. Albertus ab Albertis recenset in Tomo illo suo, cuius est Titulus, Generales vindictæ aduersus famosos Gasparis Scioppij libellos. Is in Iesuitarum virtutes falcem mittens sic ait: Talis etiam in eis est charitas, qui omnia sua relinquunt, & sequuntur Christum, siue paupertatem, & obedienciam alicui alteri, vel Christi Vicario vouent: & non modo bonorum externorum dominium seu proprietatem, neque modo corporis sui potestatem in perpetuum eiurant, sed etiam voluntatem suam, & quod omnium est potentissimum, mentem, & intelligentiam, Præposito seu superiori suo subiiciunt, ita vt nihil quicquam velint, nisi quod Præpositus iusserit, neque nisi quod eidem visum fuerit, verum esse censeant. Prorsus denique propter Christum se ipsos abnegant, & corpus, animumque incaptiuitatem, & seruitutem alterius redigunt in oble-*

*Præcipue ex obediencia Pontifici, & Generali.*

obsequium Christi, &c. Et subdit, Societatem esse adeo deuotam, & operosam in obediendo, ut merito pro Digno Dei, siue pro opere omnipotentiae diuinæ, & miraculo habeatur. Ita ille in sua Thaumatalogia pag. 47. apud Albert. cit. cap. 14. §. 7. num. 98. Et in sua Ecclesiast. pag. 551. addit: Haud vidi magis obediens, quam Iesuitas: cum obedientia sit illud, quo plerique Societatis eius Institutum, præ ceteris Religiosorum, & Monachorum Sodalitatibus alioquin adamantes, ab eius ingressu abstinere solent: eamque rem lippis, & tonsores norunt: neque ipse Rex Angliæ nescit, si quis Iesuita, siue à Pontifice, siue à Præposito suo in Angliam proficisci iubeatur, eum ex voto, quo se parendum obtrinxit, ac veluti Sacramento dicto auctorauit, confestim illuc ad paratam sibi necem mortemque perspicuam abiturum. Sic apud cit. Albert. supra num. 90. Et in suo Scaligero Hypobolismo pag. 247. Hoc certe (inquit) toto illo tempore, quo Catholicis sum aggregatus, in Patribus Societatis illius animaduerti, quod quo quisque doctior, & vsu rerum instructior, eo sit melior, & humanior. Sic ap. cit. Alber. num. 100.

Celebratur etiam ab Eodem Scioppio Institutum Societatis in suo Libro Amphotidum Scippianarum in editione Parisiensi ann. 1611. pag. 129. his verbis; Vniuersæ Societatis IESV Institutum ab ipso Deo Auctore profectum, totique Reipublicæ Christianæ, non modo summopere vtile, sed omnino etiam necessarium esse credit, &c. Et in suo Arcanorum Dadalo pag. 204. & 205. subdit idem Scioppius. Si quisquam est, qui Societatem IESV à Diuo Ignigo, siue Ignatio Loyola conditam, & constitutam, & Apostolicæ Sedis auctoritate confirmatam, ingentes Ecclesiæ Dei, omnique generi humano utilitates attulisse, eaque re optimi ac maximi cuiuscumque beneuolentia, fauore, & auxilio dignissimam censet. In his Ego nomen profiteor meum. Sic apud cit. Alber. num. 101. Nec sunt inferioris Ordinis elogia, quæ idem Scioppius prædicat de Societate in suo Syngrapho pag. 1.8. & 19. Vidi (inquit) Dilingæ magnum Mona-

In qua præ  
Digno Dei  
& opere  
Omnipo-  
tentia di-  
uina ha-  
bentur.

Quo quis  
eorum do-  
ctior, eo  
melior &  
humanior.

Societatis  
Institutum à  
Deo Aucto-  
re profectum.  
Reip. non  
solum vtile,  
sed neces-  
sarium.

Ingentes  
Ecclesiæ  
Dei, omni-  
que generi  
humano v-  
tiles assert  
fructus.

Ideo ab om-  
nibus bene-  
uolentia,  
fauore, &  
auxilio di-  
gnissima  
Societas.

*Excitata  
diuinitus  
ad tutandā  
Catholica  
fidei veri-  
tatem.*

*Et Religio-  
num in-  
flauratio-  
nem.*

*Iesuitis de-  
bet Cathol.  
Religio  
quod ex  
tota Ger-  
mania non  
exulauerit.*

chorum numerum ex varijs Sueciæ Monasterijs ad Acade-  
miam illam missorum, qui auspicijs, atque ductu Societatis  
IESV, ad tutandam Catholicæ fidei veritatem, & Religio-  
num instaurationem diuinitus exercitæ humanioribus lite-  
ris, & Philosophiæ, ac Theologiæ strenuè operantur: quos  
vbi confecto studiorum curriculo, Antistites sui reuocau-  
erint, alios in eorum locum submittent, quibus similiter alij  
Deo iuuante deinceps succedent, vt vsque in hortos Dei, siue  
Magisteria, ligna felicia & fructifera transferantur, quæ dent  
fructum in tempore suo Pl. 1. quæ per singulos menses affe-  
rant primitiua, quorumque fructus sint in cibum, & folia ad  
medicinam Ezech. 37. *Et in Epist. quam Augusta Vindelicorum  
11. Idus Julij ann. 1630. ad Illustriss. Mottmannum Romæ Rota  
tunc Auditorem, totaque Germania notum scripsit, hoc de nobis cele-  
bre testimonium dedit. Negare tamen (inquit) nec velim, nec  
audeam ipsis (scilicet Iesuitis) post Deum hanc deberi gratiam,  
quod Catholica Religio ex Vniuersa Germania exulatum  
non iuerit. Hactenus Scioppius Hæreticus licet apud P. Alber. supra  
pag. 475. num. 102.*

*Et quod  
Iapones &  
Iaponia  
Reges bap-  
tizati sint.*

*Romanog;  
Pontifici  
obedi-  
tiam spon-  
derent.*

49. A CASSIODORO REINIO *In descriptione Regni Congi,  
& Africani, quam olim fecerat Philippus Piga Festa in 2. Par. In-  
diæ Orientalis cap. 28. pag. mibi 68. qui loquens de Iaponum conuer-  
sione; Multi (inquit) post aduentum Iesuitarum baptizati, &  
ad Christianorum Religionem animos applicuerunt: & in  
dies plures ad eam accedunt: quin tres Reges ex ipsis bap-  
tizati sunt videlicet Rex de Bungo, qui inter reliquos sum-  
mus est, per totam Iaponiam, &c. Baptizatus est Rex  
Arima, atque Rex de Omura. Tres modo dicti Reges fi-  
lios suos, & consanguineos cum Iesuitis in Indiam mitte-  
bant, vt in Portugalliam nauigarent, & tandem Romam vs-  
que deuenirent, vbi se sub Pontificis potestatem traderent,  
obedientiamque sponderent, &c. Quæ quidem omnia facta  
sunt à Iesuitis, vt eo plures ad Christianam fidem conuerter-  
ent, vti dictitabant illi, vtque apud Iaponenses auctoritatem  
habe-*

habere, atque fidem in prædicanda Europæ magnificen-  
tia, aliter enim ægrè persuadendi Iaponij, &c. Hæc Cassiodo-  
rus. Qui cum plures de eisdem Iesuitis calumnias spargeret, quas hæ-  
reticale suppeditabat odium, non potuit eorum apud Iaponia in-  
colas opinionem summam reticere, dum dicit: Quantum ad fidem  
accessit, obtinent Magistratum non in Ecclesiasticos tantum,  
sed etiam in politicos: persuadent enim Iapones sibi quæ vo-  
lunt, vnde pro Dijs fermè coluntur, tantamque apud Iapo-  
nes habent auctoritatem, vt parum absit, quin adorentur pro  
sanctis. Hætenus de Iesuitis homo Hæreticus.

Socij apud  
Iapones pro  
Dijs fermè  
coluntur.

Ac pro  
Sanctis  
adorantur,

50. A LUTHERANIS: Fulde in Germania anno Christi 1585.  
fuit Sacerdos magni nominis Concionator, ad quem tota fermè Ciuitas  
confluebat; quod & spem faceret Communionis Dominica sub vtra-  
que specie restituenda (eam enim sub initium Collegij nostri sustule-  
rat Teuthonici Ordinis Magister, & Abbas probitate præstans fun-  
dator noster) & familiam nostram insectaretur; vt tantum non ad  
heresim vergere eius mens, & Oratio videretur. Hic dum de Sacri-  
legis nuptijs, magnorum virorum patrocinio nixus, non minus libere,  
quam impudenter agit, repente a quissimo Dei iudicio, mortifero cor-  
reptus est morbo. Nostri vt suas iniurias benefactis remunerarentur,  
ægro corpori, animoque succurrendum putarunt; hortantur vt se ipse  
respiciat, & mediatum facinus detestetur: Quod ille & fecit, & qui  
tandem sinceri amici numerarentur, agnouit. Agenti quoque animam  
præsto fuerunt, funus curarunt, oratione funebri mortuum, vt solet,  
ornarunt, vt admirari se vehementer dicerent Lutherani, Quod Ie-  
suitæ & viuis nossent inimicis benefacere, & vita extinctis. Ita  
apud P. Anton. Dauroultium in Flor. exemplor. siue in Catechismo  
suo Historiali cap. 7. Tract. 92. n. 8.

Eorum  
charitas  
erga ad-  
uersarios  
Lutheranis  
admirationi.

51. A MORAVIÆ PRÆSIDE: Cui, cum lege municipali  
præciperetur, belli tempore, omnes etiam Dynastas, & ipsum Olomu-  
siensem Episcopum ad Prouinciæ fines hostili excursione prohibendos  
proficisci, placuit tamen homini licet Hæretico, hoc onere P. Rectorem  
Brunensem liberare. Adiecit etiam Verborum honorem: Non esse  
apud Iesuitas cessationi locum; (de Scholis loquebatur ille) ne-

M m m 2

que

Honorifi-  
cum de S<sup>c</sup>-  
cietate  
Scholis te-  
simonium.

que esse dubitandum, quin quotidie tum suorum alumno-  
rum, tum discipulorum cuneos in preces propitiando Deo  
missuri sint, his enim armis certius à finibus pericula auerti,  
quam ferro, & militibus: proinde non esse à tam pio opere  
abducendos, neque Prouinciam tam firmo præsidio spolian-  
dam. *Hactenus ille in Annal. Soc. ann. 1596. fol. mibi 90.*

Alterum.

AB ANONYMIS HÆRETICIS, *Qui licet amuli Societatis, de  
eius eruditione, & doctrina ita detrahunt, vt tamen fateantur, quor-  
sum enim quorundam accusationes vergunt, qui aiunt, fore, vt si  
Societas in suo territorio pedem figat, aut publicè docere per-  
mittatur, corona discipulorum, quæ gloria est Magistri, ad  
Societatem deflectat. Ita apud P. Adamum Contzen Polit. lib.  
4. cap. 6. §. 14.*



ELO-